ALLIANCE DES MAISONS D'ÉDUCATION CHRÉTIENNE

A L'ÉCOLE DE MARIE

VERSIONS LATINES

EN L'HONNEUR DE LA SAINTE VIERGE

TIRÉES DES AUTEURS CHRÉTIENS

PAR LE R. P. ROCHE,

DE LA SOCIÉTÉ DE MARIE

PARIS

LIBRAIRIE CH. POUSSIELGUE

RUE CASSETTE, 15

1900



Bibliothèque Saint Libère

http://www.liberius.net

PROPRIÉTÉ DE :



PRÉFACE

Ce nouveau recueil de versions a pour but de venir en aide aux maîtres chrétiens qui, désireux de faire connaître et aimer l'auguste Mère de Dieu, n'ont pas toujours, à leur disposition, un texte latin adapté, soit aux circonstances, soit à l'intelligence des enfants qu'ils instruisent.

Quel est l'éducateur religieux qui n'a pas eu quelquefois à regretter cette lacune? C'est pour essayer de la combler, qu'empruntant aux sources qui nous ont paru les meilleures (1), nous nous sommes appliqué

(1) Parmi ces sources, nous devons signaler, avec une reconnaissance toute particulière, *l'Année liturgique* de Dom Guéranger, à laquelle la généreuse bienveillance des RR. Pères

à réunir les éléments de ce petit livre. Nous sentons néanmoins combien, pour justifier son titre, il lui est nécessaire de réclamer d'avance la bienveillante indulgence de ceux à qui nous nous permettons de l'offrir.

Les cinq parties qui le composent comprennent l'ensemble de la vie de la très Sainte Vierge, et offrent ainsi l'unité dans la variété. Cependant, comme, en cet ordre, les devoirs ne sont pas toujours proportionnés au niveau intellectuel des diverses classes, on a estimé utile de signaler, à la table, les devoirs plus difficiles par une croix, et les devoirs plus faciles par un astérisque.

Bénédictins de Solesmes nous a permis de faire de très précieux emprunts.

Mentionnons ensuite :

La *Collection générale des SS. Pères*, et surtout les *Œuvres de saint Bernard*, traduites par Armand Ravelet.

Les *Mélanges littéraires* de Gorini.

La littérature des Offices divins, par l'auteur de *La littérature des Hébreux*.

Le Livre de Marie, Mère de Dieu, par Grégoire et Collombet.

L'*Hymnarium quotidianum*, du R. P. Ragey, S. M., édité par la maison Lethielleux. Paris, in-8° carré. Prix, 6 fr.

Le *Virginale gloriosæ Genitricis Mariæ*, du R. P. Ragey, S. M., édité par la maison Gaume (Rondelet, successeur).

La Vierge d'après les Pères, par l'abbé Barbier.

La Vierge-Mère d'après la théologie, par le R. P. Petitalot, S. M.

Marie dans ses symboles, ses figures,... petit in-12 latin-français, par M. l'abbé Pillot, ancien vicaire général du diocèse de Dijon, publié par la maison Périsse en 1851.

Dans la pensée de l'auteur, ce recueil est surtout destiné aux élèves de troisième, quatrième et cinquième; mais il pourrait être avantageusement utilisé au delà et en deçà de cette limite. Les maîtres seront les meilleurs juges.

Daigne Marie, la protectrice et la Mère du jeune âge, bénir ce modeste travail, entrepris en son honneur. Puisse-t-il, répondant aux saints désirs des éducateurs chrétiens, fournir un aliment à l'esprit et surtout au cœur de leurs élèves, et contribuer ainsi à faire mieux aimer Celle qu'on n'invoqua jamais en vain, et dont saint Bernard a dit : « Le serviteur de Marie ne périra jamais : *Devotus Mariæ nunquam peribit.* »

PROLOGUS

PROLOGUS

I

EXCITATUR ALUMNUS AD SEQUENDA MARIÆ VEXILLA.

Floscule, qui prima rides formosus in herba,
Floscule, qui primo vere decenter hias,

Floscule, virginei modo jungere floribus horti,
Laxat ubi plenos nectaris aura sinus,

Laxat ubi tepidis per prata Favonius alis,
Sol ubi purpureo lumine vestit humum.

O te felicem ! tua si bona, floscule, noris :
Non poteras ullo tutior esse loco.

Novi ego quam teneris noceat levis aura rosetis,
Quam tuus ex facili decutiatur honos.

Virgo fores hortique aditum custode coronat,
Ne noceant homines, ne noceantve feræ,

Nec Titan radiis florem, nec flatibus Eurus,
Aspera nec tristi frigore lædat hiems,

At Zephiri molles, et sol formosior, et fons
Irriguis, apto tempore, lambat aquis.

Incipe te blando, mi floscule, credere cælo,
Et primo illusum murice pande caput.

Cum totam matura rosam te fecerit ætas,
Sceptra tuas flectes ad Mariana comas.

(P. Deslions, S. J.)

II

SALVE MATER.

Salve, flumen misericordiæ,
Flumen pacis et flumen gratiæ,
Ros vallium, flos pudicitiæ,
Mater Dei et mater veniæ.

Salve, vera salus fidelium,
Majestatis thronus et solium,
Templum Christi, domus, triclinium,
Via vitæ, pudoris lilium.

Salve, florum decor amabilis,
Sponsa Christi, ancilla humilis,
Tota pulchra et venerabilis,
Cui nulla fuit consimilis.

Prædicamus te venerabilem,
Sanctam mente et corde simplicem,
Mundam carne, mitem, placabilem,
Deo gratam, Deo amabilem.

Qui te gustant adhuc esuriunt,
Tuum sanctum dulcorem sitiunt,
Te amare ardenter cupiunt,
Te laudare sed non sufficiunt.

(S. Bonaventura.)

III

MARIÆ PRÆDESTINATIO

Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret.

Hæc verba mystice de Beata Virgine ab Ecclesia et a SS. Patribus intelliguntur.

Ipsa enim ab æterno fuit ordinata, quia opus est magnificum, opus divinum, non unius horæ, mensis, anni aut sæculi, sed sæculorum omnium.

Ab æterno eam ordinavit Deus, ab initioque mundi in variis figuris, archetypis, exemplaribus per æva prænuntiavit. Ita ejus virginitatem delineavit in angelis, caritatem in seraphim, sapientiam in cherubim, integritatem in cælis, splendorem in stellis, in pratis gratiam, in arboribus fructum, in animantibus spirandi agendique virtutem.

Adeo ut justorum omnium bene merita non nisi umbratitia quædam et præludia exstiterint, in quibus Deus efformando prima tantæ fabricæ rudimenta deludebat. — Quocirca a divo Bernardo apposite vocatur Maria negotium omnium sæculorum.

(Cornelius a Lapide, *Comm. in Proverbiis*, vii, 23.)

IV

SANCTI PARENTES BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Orta est Maria de stirpe Abrahæ et David, quibus a Deo fuerat promissum quod in ipsorum semine, id est in Christo, omnes tribus terræ benedicerentur.

Juxta Ecclesiæ scriptores, in civitate Nazareth est nata, patre nomine Joachim ex eadem urbe oriundo, matre vero nomine Anna, ex civitate Bethleem. Quorum vita, simplex et recta ante Dominum, omni labe carebat apud homines. Suam enim substantiam tripartito dividentes, partem unam Templo, aliam peregrinis et pauperibus erogabant, tertia tantum sibi usibusque familiæ reservata.

Attamen ita Deo grati, cum annos circiter viginti in casto conjugio duxissent nec liberos haberent, votum voverunt, si Deus sobolem daret, se eam Domini servitio esse mancipaturos. Quas preces ex animo factas, Omnipotens benigne audivit, angelumque misit primum ad Joachim, deinde ad Annam, qui nuntiaret filiam ipsis esse nascituram, cui similis sanctitate nec antea fuisset nec postea foret. Factum est itaque juxta Angeli verbum.

Nata in civitate Nazareth, sanctissima Maria tres annos in domo paterna mansit. Eam deinde pii parentes Hierosolymam duxerunt et, in Templo, Dei servitio dedicavere; ibique Virgo virginum in domo Domini plantata, atque per Spiritum sanctum saginata, frugiferæ instar olivæ, omnium virtutum domicilium effecta est, ut eam decebat quæ Dei Redemptoris Genitrix futura erat (1).

(S. Fulbertus.)

V

MARIA IMMACULATA

Decretum Pii Papæ Noni declarans Immaculatam B. Virginis Conceptionem esse de fide.

Postquam nunquam intermisimus, in humilitate et jejunio, privatas Nostras et publicas Ecclesiæ preces Deo Patri per Filium ejus offerre, ut, Spiritus Sancti virtute,

(1) Cette dernière phrase est de saint Jean Damascène.

mentem Nostram dirigere et confirmare dignaretur, implorato universæ cælestis Curiæ præsidio, et advocato cum gemitibus Paraclito Spiritu, eoque sic adspirante ; ad honorem sanctæ et individuæ Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparæ, ad exaltationem Fidei catholicæ et christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, declaramus, pronuntiamus et definimus :

« Doctrinam quæ tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ conceptionis fuisse singulari Omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris generis humani, ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.

« Quapropter si qui secus atque a Nobis definitum est, quod Deus avertat, præsumpserint corde sentire, ii noverint ac porro sciant se proprio judicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiæ defecisse. »

(Ex Bulla dogmatica *Ineffabilis* Pii Papæ Noni.)

VI

MARIÆ IMMACULATÆ ENCOMIUM

Quid dicam, aut quid proloquar de præclara et sancta Virgine ? Solo enim Deo excepto, cunctis superior exstitit. Natura formosior est ipsis Cherubim et Seraphim et omni Angelorum exercitu : cui prædicandæ cælestis ac terrena lingua minime sufficit, immo vero nec angelorum.

O Beata Virgo, columba pura et sponsa cælestis ; o Maria, cælum, templum et thronus Divinitatis, quæ coruscantem in cælo et in terra solem habes Christum ! Nubes lucida, quæ fulgur de cælo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti !

Virgo lilium est immaculatum, quæ rosam immarcescibilem genuit Christum. O sancta Deipara, ovis immaculata quæ Verbum ex te incarnatum, Agnum Christum peperisti ! O Virgo Sancta, quæ angelorum exercitus in stuporem deduxisti ! Stupendum enim miraculum in cælis, mulier amicta sole, lucem gestans in ulnis : stupendum miraculum in cælis, Dominus angelorum infans Virginis effectus. Angeli accusabant Evam, nunc vero Mariam gloria prosequuntur, quæ lapsam Evam erexit et Adamum e paradiso dejectum in cælos misit.

Gratia sanctæ Virginis est immensa. Hinc Gabriel imprimis salutat Virginem dicens : Ave gratia plena, quæ es splendidum cælum ! — Ave gratia plena, virtutibus multis exornata Virgo ! — Ave gratia plena, quæ es urna aurea continens manna cæleste ! — Ave gratia plena, quæ sitientes fontis perennis dulcedine satias ! — Ave, sanctissima Mater immaculata, quæ genuisti Christum qui est ante te ! — Ave purpura regia, quæ cæli terræque regem induisti ! — Ave, liber incomprehensus, quæ Verbum et Filium Patris mundo legendum exhibuisti !

(S. Epiphanus, *De laudibus B. Mariæ Virg.*)

VII

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS NATIVITAS

Lætis terra sonet plausibus; huic Dei
Mater. Virgo datur : munere quo nova
Se rerum facies protinus exserit,
   Mundo pax redit aurea.

Hæc est illa domus, qua Deus advena
In terris habitat, digna Deo domus ;
Templum grande, sibi quod propria manu
Summus condidit Artifex.

Aureis arca vetus fulserit undique
Scintillans radiis : hæc vacuas decent
Umbras : interior Numinis ipsius
Arcam nobilitas decet.

Non hic manna latet, legifer aut lapis (1),
Non ramus sterilis : flos viget hic ferax
Virtutum ; sacer hic panis, homo Deus ;
Hic legis residet dator.

Sit laus summa Patri, summaque Filio :
Amborum sit idem Spiritui decus,
Arcanis habilem qui thalamum modis
Christo præparat hospiti.

(Coffin.)

VIII

NATIVITAS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Gaudeamus et exsultemus in nativitate Beatissimæ Dei genitricis Mariæ, quæ novum mundo nuntiavit gaudium, et totius exstitit humanæ salutis exordium; et sicut gaudere solemus in nativitate Christi, ita etiam nihilominus gaudeamus in nativitate Matris Christi.

Hodie illa nata est per quam omnes renascimur, cujus speciem omnipotens concupivit et in qua Deus posuit thronum suum.

Hodie nata est regina mundi, fenestra cæli, janua paradisi, *tabernaculum Dei, stella maris, scala cælestis*

(1) *Legifèr lapis*, les tables de la loi, tables de pierre qui étaient placées dans l'Arche d'alliance.

per quam supernus rex humiliatus ad ima descendit, et homo, qui prostratus jacebat, ad superna exaltatus ascendit.

Hodie apparuit stella mundo, per quam sol justititiæ illuxit mundo. Illa videlicet de qua per prophetam dicitur: *Orietur stella ex Jacob et exsurget homo de Israel.*

Hodie nata est splendidissima illa Virgo, ex qua processit speciosus forma præ filiis hominum.

Hodie prodiit quæ templum fieri meruit divinitatis.

Hodie impleta est prophetia illa quam eximius prophetarum Isaias, quasi præco factus ad adventum Reginæ mundi, magna voce clamabat, dicens : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.*

Et bene hæc incomparabilis Virgo virga dicitur, quæ per intentionem desiderii ad superna emicuit, et per boni operis sinceritatem distortæ nodositatis vitium non incurrit. De qua virga Redemptor noster quasi flos ascendit, qui martyribus et confessoribus suis, totius orbis campos velut rosis et liliis decoravit.

(S. Petrus Damianus, *Sermo XLVI, in Nativ. Beatæ Virginis.*)

IX

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS NATIVITAS

Dei Genitricis natalem operæ pretium est honorare, per quam universum mortalium genus redintegratum est, et per quam primigenæ matris Evæ luctus in gaudium est commutatus.

In ista die, virga de radice Jesse orta est, ex qua flos divine subsistens ascendit.

In ista die, in terris et ex condicione terrena, cælum Deus condidit qui olim ex aquis firmamentum compegerat, et in altum extulerat. Ac sane cælum istud illo longe divinius est et stupendum magis; nam qui solem in illo condidit, ex hoc ipse sol Justitiæ oriturus est.

Lætentur cæli et terra, commoveatur et ipsum mare; in mare enim concha gignitur hodie, quæ cælitus procreabit margaritam Christum.

Exsultet natura, ecce enim apparet agna ex qua Pastor vellus induet, ac veteris mortalitatis tunicas lacerabit.

Choreas agat Virginitas, quoniam, ut loquitur Isaias, nata Virgo est quæ habebit in utero parietque filium cujus nomen Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus.

O quot miracula quam mirabiliter conjuncta in hac puellulâ ! ex sterilitate nascitur, virgo et mater est; in ipsâ miscentur Deitas et humanitas, passio et impassibilitas, vita et mors, ut in omnibus quod erat deterius a potiori vinceretur.

O sanctissimi parentes, Joachim et Anna ! mundo qui Dei matrem peperistis, filiam angelis superiorem et nunc angelorum Dominam.

O speciosissima dulcissimaque puella ! O lilium convallium, ex generosissima et maxime regia stirpe Davidica progenitum ! Per te regnum sacerdotio est locupletatum : per te legis facta translatio est, patefactusque spiritus qui sub lege delitescebat.

O rosa quæ ex spinis, Judæis scilicet, orta es, divinoque odore cuncta perfudisti !

O Filia Adami et Dei Mater ! Beati progenitores ex quibus prodiisti ; beatæ ulnæ quæ te gestaverunt, item labia quibus castis osculis frui concessum est.

Hodie mundi salus est inchoata : *Jubilate Deo omnis terra, cantate et exsultate et psallite.* Exaltate vocem ves-

tram, exaltate, nolite timere ; nobis enim, in sancta probatica, nata est Mater ex qua Agnus Dei qui tollit peccata mundi nasci voluit.

Salite montes ! mons quippe Dei clarissimus partu editur, qui collem omnem ac montem, angelorum scilicet et hominum sublimitatem superat et transcendit ; ex quo, nulla manus opera, exscindi voluit lapis angularis Christus.

(S. JOANNES DAMASCENUS, *Sermo in Nativ. B. Virginis*, passim.)

X

MARIA IN TEMPLO PRÆSENTATA

Anna Mariam, pretiosum illum Trinitatis thesaurum, tres annos natam, in templum Domini lætabunda deduxit, unaque cum Joachim hymnos gratiarum effundens, cœtuque virginum comitante faces gestantium, aditum qui ducit ad Sancta sanctorum occupavit.

Ibi Zachariam, qui propheta erat et sacerdos, eorumque consanguineus, venerabundi conjuges, lætantibus labiis atque oris exsultatione appellantes, clamabant : « Accipe, Zacharia, hostiam immaculatam : accipe, o sacerdos, floridam vitem quæ racemum efferet æternæ vitæ, illam intromitte in recessus intimos templi Domini; huic sedem in templo manufacto præbe, quæ templum est animatum Verbi conditoris omnium. »

Hæ fuerunt ab Anna et Joachim editæ prædicationes, hæ Deo redditæ cum gratiarum actione laudationes, hæ apud prophetam datæ summa cum fiducia testificationes.

Tum sacerdos, qui Sancta sanctorum tenebat, et Dei, ut ita dicam, particeps erat, intuens in Virginem, ejusque modestiam, innocentiam, nobilitatem et decus quasi

divinum admirans, spiritus afflatu exclamavit : « O Virgo immaculata, tu benedicta inter mulieres, tu celebrata propter innocentiam, tu Adami maledicti expiatio, tu Evæ debiti solutio. Te prædico gratia plenam ; te adduco pretiosum thesaurum in Templo ; te extollo novum Testamentum in quo Messias Christus inscriptus, hinc litteræ legalium finem imponet, inde vocationis gratiæ initium faciet. »

Propheta Mariam sanctissimis his laudibus postquam cumulavit, eam ad summos altaris gradus deductam Domini Dei servitio dicavit. Tum genitores Joachim et Anna, læto animo, e Templo recesserunt, Virginis intelligentiam, mansuetudinem animique magnitudinem admirantes.

S. Tarasius, Constant. episcopus. *Sermo in Præsent. SS. Deiparæ* (passim).

XI

SANCTUS JOSEPH BEATÆ VIRGINIS MARIÆ SPONSUS

Quis et qualis homo fuerit beatus Joseph, conjice ex appellatione qua meruit honorari, adeo ut pater Dei et dictus et creditus sit : conjice et ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubitas interpretari.

Simul et memento magni illius patriarchæ quondam in Ægypto venditi, et scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed et castimoniam adeptum, innocentiam assecutum et gratiam. — Si quidem ille Joseph fraterna ex invidia venditus et ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfiguravit ; iste Joseph, Herodianam fugiens invidiam, Christum in Ægyptum portavit. — Ille domino suo fidem servans, strenue calumniam et carcerem castus sustinuit ; iste Domini sui Matrem agnoscens Virginem, et ipse virgo fideliter

custodivit. — Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum ; isti datum est conscium fieri atque participem cælestium sacramentorum. — Ille frumenta servavit non sibi sed omni populo ; iste panem vivum e cælo servandum accepit tam sibi quam universo mundo.

Non est dubium quin bonus et fidelis homo fuerit iste Joseph, cui mater desponsata est Salvatoris, fidelis, inquam, servus et prudens, quem constituit Dominus suæ Matris solacium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidissimum.

Huc accedit quod dicitur fuisse de domo David. Vere enim de domo David, vere de regia stirpe descendit vir iste Joseph, nobilis genere, mente nobilior. Plane filius David, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione ; quem tanquam alterum David, Dominus invenit secundum cor suum ; cui tuto committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum ; cui tanquam alteri David, incerta et occulta sapientiæ suæ manifestavit, et dedit illi non ignarum esse mysterii quod nemo principum hujus sæculi agnovit ; cui denique datum est quod multi reges et prophetæ, cum vellent videre non viderunt, audire non audierunt, *non solum* videre et audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, nutrire et custodire.

(S. Bernardus, *Homilia II super* Missus est.)

XII

ANNUNTIATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Terra quæ magno hactenus dolore spinas germinasti, jam nunc age choreas et salta ; ecce enim immortalis agricola, qui te a spinis maledictionis expurget, nunc appropinquat.

Sed tu, o Virgo intemerata, tanquam vellus plane divinum, præpara te Numini excipiendo, quod in te velut imber descendet.

Esto paratus, o divinæ munditiæ liber, quippe tibi Sancti Spiritus digito inscribetur sapientia divina sed incarnata, quæ insipientiæ meæ prævaricationem e medio tollat.

O aureum candelabrum, ignem recipe divinitatis, ut per te luceat mundo, simulque nequitiæ nostræ tenebras dissipet.

O magni Regis palatium, Virgo, aurium tuarum divina pande vestibula ; jamjam enim ad te ingredietur ipsa veritas Christus, ut habitet in medio tui.

O vitis Maria, compara te, ut per angeli vocem fecundata, botrum maturum neque corruptioni obnoxium procrees.

O mons denique, salve, quem Daniel in spiritu prævidit, et ex quo lapis ille spiritalis abscinditur, qui inania dæmonum sculptilia conteret.

O rationalis arca, quam verus legislator, amore singulari prosecutus, inhabitare nunc ut incola statuit, impleat te jucunditas mentis ; per te enim destructos innovabit.

Ille qui a dextera Patris numquam digressus, substantiam omnem transcendit, in te sibi diversorium delecturus adventat ; ut a dextris suis te constituat, tanquam reginam dignitate sibi propinquam, et excellenti pulchritudine præditam ; utque te velut dexteram suam omnibus lapsis ad surgendum extendat.

Inter Angelos primarius Dei minister, vocem ad te lætabundam emittit, ut ex te corporandum significet magni consilii angelum.

O Verbum divinum, cælos inclina et nunc ad nos descende. Jam enim Virginis uterus præparatus est tibi ut thronus, in quo tanquam Rex splendidus sedeas, opus dexteræ tuæ a ruina sustollens.

(Ex *Liturgia græca.*)

SALUTATIO ANGELICA

SALUTATIO ANGELICA

I

SALUTATIONIS ANGELICÆ DIVISIO

Post Dominicam orationem, præstantissima est illa quæ *angelica salutatio* nominatur.

Angelica dicitur non quod ejus auctor angelus, sed quia pars ejus primaria non hominis ore sed angeli primario fuit prolata, ut indicat Lucas evangelista, cap. I, v. 26 :

« Missus est, ait, Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria.

« Et ingressus Angelus ad eam dixit : *Ave gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* »

Hujus orationis pars secunda verbis constat Elisabeth, in Beatæ Virginis visitatione ; quæ verba sic refert idem evangelista :

« Exsurgens Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda.

« Et intravit in domum Zachariæ et salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu sancto.

« Et exclamavit et dixit : *Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui.* »

Pars tertia, nempe : *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus*, etc. addita putatur postquam in Ephesio concilio profligata est hæresis Nestoriana, quæ nolebat Virginem Mariam dici Θεοτόκον, seu *Dei Genitricem.*

II

ANGELICÆ SALUTATIONIS VIRTUS

Cælum gaudet, stupet omnis terra, cum dico : *Ave Maria.*

Satan fugit, infernus contremiscit, cum dico : *Ave Maria.*

Mundus vilescit, caro marcescit, cum dico : *Ave Maria.*

Abscedit tristitia, venit nova lætitia, cum dico : *Ave Maria.*

Torpor evanescit, cor ex amore liquescit, cum dico : *Ave Maria.*

Crescit devotio, oritur compunctio, spes proficit, augetur consolatio, cum dico : *Ave Maria.*

Recreatur animus, et in bono confortatur æger affectus; cum dico : *Ave Maria.*

Siquidem tanta est suavitas salutationis hujus benedictæ, ut humanis non possit explicari verbis ; sed semper altior manet et profundior quam ut creatura omnis indagare sufficiat. Quapropter ad te, Virgo sanctissima, iterum flecto genua et dico : *Ave Maria, gratia plena.*

Suscipe, Domina clementissima, salutationem hanc devotissimam, et me in ea suscipe ; ut aliquid habeam quod tibi grate placeat, quod mihi fiduciam ad te præs-

tet, quod majorem semper amorem accendat, atque in jugi devotione tui venerandi nominis conservet.

(THOMAS A KEMPIS, *Soliloquium animæ*, cap. XXIII, v. 4.)

SALUTATIONIS ANGELICÆ EXPLANATIO

III

AVE

Ingressus Angelus ad Mariam dixit : *Ave, gratia plena.* A gaudio incipit Mariam alloqui ille gaudii nuntius. Noverat enim et plane sciebat nuntium illud suum universis hominibus omnibusque creaturis gaudium parare, et quoslibet a quibusvis dolores expellere. Noverat ex divina hujus mysterii cognitione mundum lumine collustrari ; noverat erroris dejici caliginem ; noverat retundi mortis aculeum ; noverat vim corruptionis infringi ; noverat inferno victoriam auferri ; noverat salutem perdito effulgere homini, qui horum malorum jugo jamdiu premebatur, ex quo scilicet a paradisi deliciis expulsus fuerat.

Propterea legationis exordium a gaudio ducit ; propterea suis sermonibus gaudii voces præmittit ; propterea faustis hisce nuntiis gaudium antecedit, utpote quæ omnibus credentibus gaudio futura erant.

Et sane par omnino erat ut divina gaudii denuntiatio, a sermonibus verbisque gaudium elicientibus sumeret initium. Propterea enim et angelus gaudium ante omnia renuntiat, quia faustæ legationis suæ non ignorat exitum, ac probe novit, quod habebatur colloquium, in totius mundi gaudium esse cessurum. Et profecto quodnam gaudium, aut quænam experiri potest jucunditas, quam non longe excedat colloquium ad Virginem illam beatam ac gaudii parentem habitum ?

(S. SOPHRONIUS, episc., *Homilia in Deiparæ Annuntiatione.*

IV

MARIA

Et erat nomen Virginis Maria. (Luc., cap. I, v. 27.)

Loquamur pauca super hoc nomine, quod interpretatum *maris stella* dicitur, et Matri Virgini valde convenienter aptatur.

Ipsa enim illa est nobilis stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat; cujus splendor et præfulget in supernis, et infernos penetrat, terras etiam perlustrans, et calefaciens magis mentes quam corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa est, inquam, præclara eximiaque stella super hoc magnum et spatiosum mare sublevata, micans meritis, illustrans exemplis.

O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio, magis inter procellas et tempestates fluctuare quam per terram ambulare, ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, nisi vis procellis obrui.

Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam.

Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam.

Si iracundia aut avaritia aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam.

Si criminum immanitate, conscientiæ fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam.

In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde, et, ut impetres ejus orationis suffragium, ne deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras;

ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis, et sic in temetipso experiris quam merito dictum sit : *Et nomen Virginis Maria.*

(S. BERNARDUS, *Homilia II super* Missus est.)

V

MARIA

Ave gratia plena!

— Cui loqueris, angele sancte ? quod est nomen ejus ? scriptumne in cælis, cognitum, designatum ?

— Novi, inquis, novi eam ex nomine. Nomen Virginis est Maria, nomen benedictum et exaltatum in omnibus sæculis, venerandum et colendum gentibus et tribubus et populis. Ridet cælum cum audit hoc nomen Maria ; exsultat anima, tranquillatur conscientia 'cum sonat vox Maria.

— Sed quid est Maria ? — Maris stella.

— Quid est Maria ? — Illuminatrix.

— Quid est Maria ? — Domina.

O maris stella ! non timet naufragium qui ad te potest habere confugium.

O Illuminatrix ! secure transibit per umbras mortis, quem tu illustraveris, quem tu præibis.

O Domina ! ego servus tuus, non semel sed iterum servus tuus, nec iterum tantum, sed, a progenie in progenies, ego servus ancillæ Domini, ego mancipium ejus, ego scabellum pedum ejus.

Si tempestas ingruerit, o Maria, maris stella eris ;
Si nox tenebras induxerit, illuminatrix ;
Si me in servitutem malignorum spirituum aliquis per negligentiam meam proclamaverit, tu vera et sempiterna Domina, vindica me ut tuum, excusa me ut tuum, libera me ut tuum.

(PETRUS CELLENSIS, *in Annunt. Domini Sermo III*, passim.)

VI

GRATIA PLENA

Gratia Dei, juxta divum Thomam, ad duo datur, scilicet, ad bonum operandum et ad malum vitandum, et in his duobus perfectissimam habuit gratiam Beata Virgo.

Ipsa enim omne peccatum magis vitavit quam aliquis sanctorum, post Christum. Nam peccatum, aut *originale* est, et illius fuit Maria semper immunis juxta fidem, aut *mortale* et *veniale*, et ab illis fuit libera, ut docet Scriptura : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.*

Ipsa etiam virtutum omnium opera exercuit. Alii quidem sancti specialia quædam perfecerunt, cum alius fuerit humilis, alius castus, alius misericors ; ideoque ipsi in exemplum specialium virtutum dantur ; sed Beata Virgo in exemplum omnium. Ceteris per partes, ait Hieronymus, Mariæ autem tota se infundit plenitudo gratiæ.

Addit divus Thomas tantam fuisse hanc plenitudinem gratiæ in beata Virgine, ut ex ea refuderit in virgineam

carnem ipsius et in omnes homines. « Multum, inquit, in quolibet sancto, gratiam habere satis magnam ut sufficiat ad plurimorum salutem ; habere autem tantum de illa ut sufficiat ad salutem omnium, hoc solummodo in Christo et in beata Maria (1). In omni periculo, salutem ab ipsa obtinere potes, in omni opere virtutis adjutorium habere ; dicit enim ipsa : *In me omnis spes vitæ et virtutis.* — Unde merito exclamat divus Germanus :

« Nullus est qui salvus fiat nisi per te, o sanctissima ;

« Nullus qui liberetur a malis nisi per te, o purissima ,

« Nullus est cui donum concedatur nisi per te, o castissima;

« Nemo est cujus misereatur divina gratia nisi per te, o Virgo nobilissima. »

VII

DOMINUS TECUM

Non dicit : Dominus in te, sed *Dominus tecum.* — Deus enim qui ubique æqualiter totus est per suam substantiam, aliter tamen in rationabilibus creaturis quam in ceteris, et ex prioribus, aliter in bonis quam in malis est per efficaciam.

Ita sane est in irrationabilibus creaturis, ut non capiatur ab ipsis : a rationabilibus autem capi potest quidem per cognitionem, sed a bonis tantum capitur etiam per amorem.

In solis namque bonis ita est ut etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis. Dum enim suas voluntates ita justitiæ subjiciunt ut Deum non dedeceat velle

(1) En Jésus-Christ comme source, en Marie comme réservoir.

quod ipsi volunt, per hoc quod ab ejus voluntate non dissentiunt, Deum sibi specialiter jungunt.

Sed cum ita sit cum omnibus sanctis, specialiter, tamen cum Maria, cum qua utique tanta ei consensio fuit ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret, ac, de sua Virginisque substantia, unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret, qui, etsi non totus de Deo nec totus de Virgine, totus tamen Dei et totus Virginis esset, nec duo filii, sed unus utriusque filius.

Ait itaque Angelus : *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Non tantum Dominus Filius tecum, quem carne induis, sed et Dominus Spiritus sanctus de quo concipis, et Dominus Pater qui genuit quem concipis.

(S. Bernardus, *Homilia III super* Missus est.)

VIII

BENEDICTA TU IN MULIERIBUS

Vere benedicta tu in mulieribus, Maria, quoniam Evæ maledictionem in benedictionem commutasti ; quoniam Adam qui prius jacebat exsecratione perculsus, ut per te benediceretur effecisti.

Vere benedicta tu in mulieribus, quoniam benedictio Patris per te affulsit hominibus, eosque a vetere maledicto liberavit.

Vere benedicta tu in mulieribus, quia per te progenitores tui salutem inveniunt ; tu siquidem salvatorem genitura es qui divinam ipsis salutem comparabit.

Vere benedicta tu in mulieribus, quoniam divinitus eum protulisti fructum qui benedictionem orbi terrarum elargitur, ipsumque a maledictione spinas germinante liberabit.

Vere benedicta tu in mulieribus, quia mulier naturali condicione, Dei tamen Genitrix reipsa fies. Etenim si qui ex te nasciturus est secundum veritatem Deus est incarnatus, ipsa jure meritoque diceris Deipara, quippe quæ Deum verissime paris.

Alii quidem, iique plures ante te, eximia sanctitate floruerunt; sed nemini quemadmodum tibi plena gratia impertita est. Nemo enim sicut tu ad tantam magnificentiam est evectus; nemo sicut tu, purificante gratia præoccupatus est; nemo sicut tu cælesti lumine refulsit; nemo sicut tu præ omni celsitudine exaltatus est. Et merito quidem, nemo enim sicut tu ad Deum tam prope accessit; nemo sicut tu Dei donis est ditatus; nemo sicut tu Dei gratia fuit particeps. Omnia vincis quæcumque inter homines emicant: omnia superas munera quæ Dei largitate effusa in quoslibet dimanaverunt.

Propterea tibi clamavi atque iterum vehementer clamabo : ***Ave gratia plena, benedicta tu in mulieribus.***

(S. SOPHRONIUS episc., *Homilia in Deiparæ Annuntiatione.*)

IX

BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI

Benedictus fructus ventris tui, Maria; benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie.

Hujus odoriferi fructus *fragrantiam* sentiebat qui dicebat patriarcha : « Odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. » Statim atque ortus fuit fructus ille benedictus, ita longe lateque odorem fudit, ut totum impleret mundum; nam, a remotissimis orbis partibus, orientales reges ad se propius odorandum et adorandum pertraxit.

Et sicut fructus, cum tangitur ac manibus premitur, magis redolet, ita fructus Mariæ, cum jam laboribus omnino maturus, Judæorum manibus attractatus et pressus fuit, clavibus affixus et lanceæ punctione concisus, majorem efflavit odorem per universum orbem, omnia suavitatis fragrantia ad se pertrahens, et in sui amorem rapiens (1).

De *sapore* ejus quidam qui gustaverat taliter eructabat dicens : « Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. » Et alibi : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. »

Et ipse fructus invitans nos ad se : « Qui edit me, ait, adhuc esuriet, et qui bibit me adhuc sitiet. » Hoc utique dicens saporis propter dulcedinem, qui semel gustatus magis appetitum excitat. O bonum fructum ! qui animarum esurientium et sitientium justitiam et esca et potus est.

Audistis de odore, audistis de sapore, audite nunc de *specie*.

Si enim fructus ille mortis, non solum suavis fuit ad vescendum, sed etiam, teste Scriptura, delectabilis aspectu, quanto magis hujus vitalis fructus vivificum decorem debemus inquirere, in quem desiderant angeli prospicere. Cujus pulchritudinem in spiritu videbat et in corpore videre cupiebat qui dicebat propheta : « Ex Sion species decoris ejus. » — Et ne mediocrem nobis videatur commendare decorem, recolamus quod in alio psalmo legitur : « Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. »

(S. Bernardus, *Homilia III super* Missus est.)

(1) Ce passage est tiré de Marchantius, *Hortus pastorum*, t. III, p. 235, *Salutationis angelicæ explanatio*.

X

FRUCTUS EVÆ ET FRUCTUS MARIÆ

Eva fructum quæsivit et in illo quæ desideraverat non invenit; Maria in suo fructu omnia invenit quæ desideraverat Eva.

Eva enim in fructu tria desideravit :

Id primum quod falso promiserat diabolus, quod essent sicut Dii, scientes bonum et malum : Eritis, inquit ille mendax, eritis sicut Dii. Sed mentitus est, quia mendax et mendacii pater, et Eva, propter fructus esum non est facta similis Deo, imo vero dissimilis, quoniam peccando recessit a Deo salutari suo. — Hoc autem invenit beata Virgo in fructu ventris sui et omnes Christiani cum ea, quoniam per Christum conjungimur et assimilamur Deo, ut ait Joannes : « Cum apparuerit, similes ei erimus. »

Eva in fructu delectationem desideravit, utpote bono ad vescendum, sed non nisi ignominiam invenit et dolorem. — In Virginis fructu suavitatem invenimus et salutem, ut ipse fructus testatur dicens : « Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam. »

Tandem fructus Evæ pulcher erat aspectu, sed pulchrior fructus Mariæ, in *quem desiderant angeli prospicere*, et qui est *speciosus forma præ filiis hominum.*

Eva ergo in suo fructu invenire non potuit quod nec peccatores in peccatis. Ideo quæ desideramus quæramus in Virginis fructu, nam benedictus est a Patre, benedictus ab Angelis, benedictus a cunctis hominibus.

(S. THOMAS, *Opusc. VII, Expositio salutationis angelicæ.*)

XI

DE NOMINE JESU

Non otiose Spiritus sanctus nomen Jesu oleo comparat : oleum enim lucet, pascit et ungit; fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem; lux, cibus, medicina. Vide idem nunc et de Jesu nomine. Lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit et ungit.

Percurramus singula.

Unde putas in toto orbe tanta et tam subita fidei lux, nisi de prædicato nomine Jesu? Nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen suum? quibus illuminatis et in lumine isto videntibus lumen dicat merito Paulus : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. » Hoc denique nomen coram regibus et gentibus et filiis Israel portare jussus est idem apostolus, et portabat nomen tanquam lumen, et illuminabat patriam et clamabat ubique : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit; abjiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis; sicut in die honeste ambulemus. » Et monstrabat omnibus lucernam super candelabrum, annuntians in omni loco Jesum et hunc crucifixum. — Quomodo lux ista resplenduit ac perstrinxit cunctorum oculos intuentium, quando de Petri ore tanquam fulgur egrediens, claudi unius corporales plantas solidavit et bases, multosque spiritualiter cæcos illuminavit! Numquid non ignem sparsit, cum ait : « In nomine Jesu Christi Nazareni, surge et ambula! »

Nec tantum lux est nomen Jesu, sed et cibus.

Annon toties confortaris, quoties recordaris? Quid æque mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? Aridus omnis animæ cibus qui non oleo isto infunditur, insipidus qui non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi ibi legero Jesum. Si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus.

Sed est et medicina.

Tristatur aliquis nostrum? — Veniat in cor ejus Jesus et inde saliat in os. Et ecce ad exortum hujus nominis lumen, nebulum omne diffugit, redit serenum. — Labitur quis in crimen? currit insuper ad mortis laqueum desperando? Nonne si invocet nomen vitæ, confestim ad vitam respirabit?

(S. BERNARDUS, *Sermo XV super Canticis.*)

XII

SANCTI NOMINIS JESU SUAVITAS

Jesu dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia :
Sed, super mel et omnia,
Ejus dulcis præsentia.

Nil canitur suavius,
Nil auditur jucúndius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus Dei Filius.

Jesu, spes pænitentibus,
Quam pius es petentibus!

Quam bonus te quærentibus!
Sed quid invenientibus?

Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere;
Expertus potest credere
Quid sit Jesum diligere.

Jesu, decus angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.

Qui te gustant esuriunt,
Qui bibunt adhuc sitiunt,
Desiderare nesciunt
Nisi Jesum quem diligunt.

O Jesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ!
Te quærunt piæ lacrimæ,
Te clamor mentis intimæ.

Jesu, flos Matris Virginis,
Amor nostræ dulcedinis,
Tibi laus, honor Nominis,
Regnum beatitudinis. Amen.

XIII

MATER DEI

Hujus dignitatis excellentia.

Mira res, in quam sublimi contemplor Mariam locatam!

Nihil est æquale Mariæ; nihil, nisi Deus, majus Maria.

Deus Filium suum, quem, de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ipsum dedit Mariæ:

Et ex Maria fecit sibi Filium, non alium sed eundem, ut naturaliter esset unus idemque communis Filius Dei et Mariæ.

Omnis natura a Deo est creata, et Deus ex Maria est natus.

Deus omnia creavit et Maria Deum genuit.

Deus qui omnia fecit, ipse se ex Maria fecit, et sic omnia quæ fecerat refecit.

Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea diruta sine Maria reficere.

Deus igitur pater est rerum creatarum et Maria rerum recreatarum.

Deus pater est constitutionis omnium, et Maria restitutionis omnium.

Deus enim genuit illum per quem omnia sunt facta et Maria peperit illum per quem omnia sunt salvata.

Deus genuit illum sine quo penitus nihil est, et Maria peperit illum sine quo omnino nihil bene est.

(S. Anselmus, *Oratio III.*)

XIV

CUR EVANGELISTÆ TAM SUMMATIM DE MARIA DIXERUNT.

Cogitanti mihi quid causæ sit, cur evangelistæ, cum de Joanne Baptista et de apostolis tam diffuse tractarunt, de Virgine Maria quæ vita et dignitate omnes antecedit ita summatim dicant, nihil aliud occurrit, nisi ita Spiri-

tui sancto placuisse et ejus providentia evangelistas siluisse, propterea quod Virginis gloria, sicut in psalmis legitur, omnis ab intus erat, sufficereque ad ejus plenam historiam, de illa natum esse Jesum.

Quid amplius quæris? Quid ultra requiris in Virgine? Sufficiat tibi eam esse Matrem Dei. Talem matrem litteris Spiritus non describit, sed omnino tibi depingendam reliquit, ut intelligas nihil illi gratiæ aut perfectionis aut gloriæ defuisse, quam animus in creatura concipere possit, imo reipsa intellectum omnem superasse.

Ubi ergo totum erat, pars scribenda non fuit, ne putares, quod scriptum non fuerat, eidem forsitan defuisse. Si ancillas suas et ministras domus suæ dominus ita mirifice decoravit, donisque et gratiis auxit, qualem, putas, condidit Matrem suam, sponsam suam quam sibi ex omnibus elegit et præ omnibus adamavit? Cunctis eam Altissimus præposuit, non solum virgineis sed etiam angelicis choris, quia Mater ejus est et Matrem Dei decet omnis celsitudo.

Quidquid igitur de Virgine scire aut intelligere cupis, totum in hoc clauditur breviloquio : *de qua natus est Jesus*. Hæc longa et plenissima ejus historia est.

(S. THOMAS episc., *Homilia de Nativitate Virginis*, passim.)

XV

MATER DEI

Nestorius, patriarche de Constantinople, avait publiquement soutenu que la Vierge Marie ne devait pas être appelée Mère de Dieu. Plus de deux cents évêques réunis en concile, à Éphèse, dans la ville même où Marie avait passé les dernières années de sa vie, en compagnie de saint Jean, proclamèrent hautement la foi de l'Eglise et vengèrent l'honneur de la Reine du ciel, en prononçant anathème contre l'hérésiarque, et contre quiconque oserait soutenir que Marie ne devait pas être appelée *Mère de Dieu*, en latin *Deipara*, — en grec Θεοτόκος.

Saint Cyrille d'Alexandrie prononça devant le concile l'éloge de la Vierge, et, de concert avec les évêques, rédigea la prière que l'Eglise, en témoignage de sa foi, adresse tous les jours à Marie, à la suite de la salutation de l'ange : *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus*, etc.

Nous donnons ici, traduits du grec, quelques extraits de cette belle homélie :

Salve, Ephesinorum urbs, novo maris prospectu ornatior, propterea quod loco terrenorum portuum, portus cælestes et angelici ad te venerunt (1) !

Salve, Asianæ præfecturæ decus, quæ undique sanctorum templis, ceu pretiosis margaritis circumdata, nunc quoque multorum sanctorum Patrum et Patriarcharum trita vestigiis consecraris.

Salve, o ter beate Joannes apostole et evangelista, virginitatis decus, pudicitiæ magister, diabolicæ fraudis exterminator, Dianæ templi eversor, Ephesinæ urbis portus et propugnaculum, pauperum nutritor, afflictorum perfugium, vicinorum ac peregrinorum quies ac refugium. Salve, temperantiæ vas purissimum! Tibi enim Dominus noster Jesus Christus, cum in cruce efferretur, Deiparam illam semperque Virginem ut virgini tradidit.

Salve, tu quoque Maria Deipara, Virgo Mater, Lucifera, vas incorruptum. Salve, Virgo Maria, Mater et

(1) I. e. Concilii Patres.

Serva : Virgo quidem propter eum qui natus est ex te virgine, Mater propter eum quem in tuis gestasti ulnis lacteque nutristi, Serva vero propter eum qui servi formam cēpit.

Salve, Maria, templum in quo Deus suscipitur, imo templum sanctum, quemadmodum clamat propheta David dicens : « Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. » — Salve, Maria, res pretiosissima totius orbis ; salve, Maria, columba incorrupta ; salve, Maria, lampas inextinguibilis, ex te enim natus est sol justitiæ. — Salve, Maria, locus ejus qui loco non capitur ; salve, quæ spicam sine semine et aratro divinitus germinasti immarcescibilem.

Salve, Maria Deipara, propter quam prophetæ clamant, ob quam pastores laudes canunt Deo, cum angelis hymnum illum dicentes : « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. »

Salve, Maria Deipara, per quam ineffabilis gratia prodiit, de qua apostolus dicebat : « Apparuit gratia Dei Salvatoris omnibus hominibus. »

Salve, Maria Deipara, per quam prodiit lux vera, Dominus noster Jesus Christus, qui dixit in Evangeliis : « Ego sum lux mundi. »

Salve, Maria Deipara, per quam prodiit mortis victor et inferni exterminator.

Salve, Maria Deipara, per quam floruit et affulsit resurrectionis decus.

Salve, Maria Deipara, per quam salvatur omnis fidelis spiritus.

Salve, Maria Deipara, per te enim maris fluctus placati ac sedati, conservos nostros et comministros cum gaudio et suavitate portarunt.

(S. Cyrillus, *Homilia XI. Encomium in sanctam Mariam Deiparam.*)

XVI

ORA PRO NOBIS PECCATORIBUS

Memini, Virgo Maria, et meminisse delectabile, qualiter ad commendandum unicum patrocinium tuum, cuidam servo tuo agenti in extremis revelaris mirabile nomen tuum. Apparens enim ei, cum esset in angustiis et requirens utrum te agnosceret, cum ille : « Minime, Domina, » responderet, tu ei, pro benignitate tua, quam blande, quam familiariter dixisti : « Ego sum Misericordiæ mater. »

Apud quem ergo miseri, apud quem desolati rectius ingemiscimus, mala deplorantes miseriæ nostræ, quam apud te veram et indubitatam Matrem Misericordiæ.

Agnosce, Benedicta, filios tuos quos unice dilectus Unigenitus tuus non erubuit fratres suos nominare. Et si, pro illo innocente Filio tuo crucifixo, pertransiit gladius animam tuam, quomodo, super mortuis in peccato pupillis tuis, te poteris continere? Quomodo maternis fletibus et lacrimis temperare?

Abstrahimur, diripimur, captivamur, non est qui eruat, qui redimat, qui consurgat diluculo et spondeat pro nobis. Surge pia, surge propitia, intra sacrarium exauditionis, et expande manus immaculatas, illud ante aureum altare humanæ reconciliationis. Erit per te impetrabile quod per te ingerimus; erit per te excusabile quod timemus. Non diu poterit te sustinere pro nobis supplicantem, quem tu sæpissime consolata es, dulcis Mater, infantem vagientem.

Sancta Maria, in nomine dilecti filii tui, dona mihi misero jugem et perennem memoriam suavissimi nominis tui. Adsit mihi in periculis, adsit in angustiis. Hoc si obtinere merear, certe nunquam funditus interire verebor. Aderit enim semper gratia tua, aderit miseratio et protectio tua. Et si in infernum demersus fuero, eo me requires et inde extrahes, et reddes filio tuo, qui me redemit et suo sanguine lavit.

(S. Anselmus, *Oratio XLIX*, passim.)

XVII

ORA PRO NOBIS NUNC ET IN HORA MORTIS NOSTRÆ

Gloriosæ Virgini merito dicimus : « Ora pro nobis nunc », dum scilicet misericordiæ tempus agitur, dum agitur illa pars regni cujus Matri potestas a Filio data est. Dimidiam enim regni partem censetur dedisse, dum sibi justitiam servans Mariæ dedit misericordiam, de qua pro bona voluntate et pietate sua disponat, durante præsenti vita.

Dicimus quoque Mariæ : « Ora pro nobis nunc », quia terrestris hæc vita nihil est aliud nisi quoddam *nunc*, sive breve momentum a quo pendet æternitas, et quia, non singulis diebus tantum, sed et singulis momentis, ejus misericordia et protectione egemus, ne in abyssum æternæ miseriæ devolvamur.

Concluditur angelica salutatio his verbis : « Ora pro nobis..... in hora mortis nostræ », et recte. — Licet enim nobis Mariæ auxilium singulis diebus sit necessarium, maxime tamen in hora mortis.

Hostis noster fortis est et multiplex, callidus et fraudulentus, anhelans continuo nostram perniciem, sitiensque animarum sanguinem : teterrimum vero nobis incumbit bellum in animæ egressu ex hoc mortali corpore. Neque unicus dæmon impugnat, sed et infernales incurrunt legiones, ita ut recte possit anima dicere : « Circumdederunt me sicut apes. »

Quid ergo remedii, in tam acri prœlio, animæ timidæ et anxiæ ? Tunc corpus, opes, amicos, honores deserere cogitur, nescia quam ineat viam et ad quem sit perventura terminum, utrum in cælo recipienda, an in inferni tenebras dejicienda. Quonam igitur se vertet ? ubinam vires, arma, ducem reperire poterit?

Ad illam recurrat quæ est ut castrorum acies ordinata, et in cujus nomine terretur infernus. Illa enim cunctis tunc præsto est qui devoto sibi obsequio fuere devincti, tenebras dispellens, hostes conterens, anxios reficiens animos, tandemque tuto ad regiam Filii sui aulam deducens.

Longum hic foret enarrare quam multis affuerit in illo agone, quam multos erexerit et victoriæ effecerit participes.

(Marchantius, *Hortus pastorum*, t. III, p. 244 : *Salutationis angelicæ explanatio.*)

XVIII

AD MARIAM

Ut assensum præbeat nuntio cælesti.

Audisti, Virgo, factum, audisti modum, utrumque mirum, utrumque jucundum. Et quoniam auditui tuo

datum est gaudium et lætitia, audiamus et nos a te quod desideramus responsum lætitiæ.

Audisti, inquam, factum et credidisti : crede et de modo quem audisti. Audisti quod concipies et paries filium, audisti quod non per hominem, sed per Spiritum Sanctum. Exspectat angelus responsum; tempus est enim ut revertatur ad Deum qui misit illum. Exspectamus et nos, Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit damnationis sententia.

Ecce tibi redemptionis nostræ pretium offertur : si assentis, statim liberabimur. In sempiterno Dei verbo facti sumus omnes, et ecce morimur : in brevi tuo responso sumus reficiendi et ad vitam revocandi. Hoc supplicat a te, pia Virgo, flebilis Adam cum sobole exul de paradiso. Hoc Abraham, hoc David, hoc ceteri flagitant sancti patres, patres scilicet tui, qui et ipsi in regione umbræ mortis habitant. Hoc orbis terræ universus tuis genibus provolutus exspectat; nec immerito, siquidem ex ore tuo pendet miserorum consolatio, captivorum redemptio, damnatorum liberatio, salus denique filiorum Adam, totiusque generis tui.

Da, Virgo, responsum festinanter; verbum emitte quod terra, quod inferi, quod exspectant et superi. Ipse quoque rex et Dominus quantum animæ tuæ decorem concupivit, tantum hodie desiderat assensum, in quo nimirum mundum salvare proposuit.

(S. BERNARDUS, *Homilia IV super* Missus est.)

XIX

ECCE ANCILLA DOMINI

Solet semper esse divinæ gratiæ familiaris virtus humilitas. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem*

dat gratiam. Humiliter ergo respondet Maria, ut sedes gratiæ præparetur : « Ecce, inquit, ancilla Domini. »

Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non noscit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur et ancillam se nominat. Non mediocris revera humilitatis insigne nec, oblata tanta gloria, hanc virtutem oblivisci. Magnum non est humilem esse in abjectione; magna vero prorsus et rara virtus humilitas honorata!

« Unde tibi humilitas et humilitas tanta, o Beata? Digna plane quam respiceret Dominus, cujus decorem concupisceret rex, cujus odore suavissimo ab æterni Patris sinu attraheretur (1). »

Si me miserum homuncionem, meis decepta simulationibus, ad aliquem vel mediocrem honorem provexit Ecclesia (Deo nimirum hoc, vel propter mea, vel propter subditorum peccata permittente), nonne statim oblitus qui fuerim, talem me puto qualis ab hominibus, qui cor non vident, putatus sum? Credo famæ, conscientiam non attendo, et reputans non honorem virtutibus, sed virtutes honori, eo sanctiorem quo superiorem me æstimo.

Audiamus quotquot superbi sumus, quid illa responderit quæ Dei mater eligebatur, sed humilitatem non obliviscebatur : « Ecce, ait, ecce ancilla Dei, fiat mihi secundum verbum tuum. »

(S. Bernardus, *Homilia IV*, *super* Missus est.)

(1) Ex *Serm. IV de Assumpt. B. Virginis.*

BETHLEEM

BETHLEEM

I

AMORIS POTENTIA

Discite quid sit Amor. Res est antiquior ipso
Tempore : dumque fuit Numen et ille fuit.
Parque Deo quanquam nihil est, tamen imperat illi,
Et sibi ceu victum cedere sæpe jubet.

Ante mare et terras cælique volubilis axes,
Cum species rerum nulla nec orbis erat,
Illi dixit Amor : « Terras et sidera conde. »
Nec mora, lucebant sidera, stabat humus ;
Lucidus ex illo, certa vice, volvitur æther,
Dum, medio constans aere, terra manet.

Viderat oppressos scelerati fraude tyranni,
Vincula mortales non patienda pati,
Præcipitesque rapi turmatim in Tartara prædas,
Nec miseris ullum stragibus esse modum.
Non tulit hoc miserans Amor, et cum Numine quæstus :
« Ipse tuum vindex assere, dixit, opus. »
Jusserat : obsequitur Deus et sua sidera linquens,
Exul protinus hinc in loca nostra venit.
Tantaque majestas morituri corporis artus
Induit, et nasci paupere matre tulit.
Nec pudor adstantes inter vagisse juvencos,
Nec pudor in feno decubuisse fuit.
Ultima ferali quis nescit in arbore passum,
Quis morti nescit decubuisse Deum ?

Omnia jussit Amor : cælo dat jura, nec ipso
Omnia cui parent regna minora tenet.

(SIDRONIUS HOSSCHIUS, S. J.)

II

EMITTE AGNUM, DOMINE, DOMINATOREM TERRÆ !

Emitte agnum, non leonem : agnum scilicet qui nec irascatur, nec insidietur ; qui carnem det ad manducandum, ne deficiamus in via ; qui lanam præbeat sicut nivem ad calefaciendum quod est frigidum, ad operiendum quod est nudum.

Hunc agnum emitte, Domine, qui secum ferat sapientiam, quia in sua divina prudentia superbum percutiet diabolum. Eum emitte fortiter, quia *fortis Dominus et potens in prælio;* emitte suaviter, ut descendat sicut pluvia in vellus ; emitte ut victimam, vendendus enim est atque immolandus pro nostra redemptione.

Agnum emitte qui peccatores statim non occidat, non enim justos sed peccatores vocare venit ad pænitentiam ; agnum emitte qui dignus sit accipere virtutem et divinitatem, dignus solvere septem signacula libri signati, id est, Incarnationis mysteria dominicæ.

Veni, Domine Jesu, sed in pannis, non in armis ;
Veni, sed humilis, non excelsus ;
Veni, sed in præsepio, non in altissimo cælo ;
Veni, sed in gremio Matris, non in sceptro majestatis ;
Veni, sed super asinam, non super cherubim ;
Veni, sed ad nos, non contra nos ;

Veni, sed visitare nos in pace, non arguere in furore,
Si talis veneris, non fugiemus a te, sed ad te.

(PETRUS CELLENSIS, *Sermo III de Adventu et Sermo I.*)

III

ORBIS VOTA CHRISTUM VENTURUM SUSPIRANTIS

O Deus, o vasti moderator et arbiter orbis,
Tempus adest; nam cur ultra promissa moraris
Solvere, et humani generis sarcire ruinas?
Ergo age, rumpe moras, cælo descendat ab alto
Exspectata diu soboles tua, qualis amicas
Solvitur in guttas ros matutinus, et agros
Irrorans siccas prohibet sterilescere messes!
Tellus, pande sinum, nimbis et feta benignis,
Funde salutiferum gremio de divite germen.
Audimus, tepidus resolutis nubibus imber
Decidit et terras pretioso munere ditat.
Jam rigui montes sudant fragrantia mella,
Jam plenis manat lactis bona copia rivis.
Credite mortales; neque spes hæc vana, malorum
Finis adest, mundoque salus lætissima surgit.

(P. LEJAY, S. J.)

IV

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI

In cymbalis resonemus, in canticis personemus; Christi manifestatur ostensio, prophetarum finem habent præconia; quem enim inter mortales dixerunt appariturum, nascitur in sancta spelunca et in præsepio reclinatur infans.

Bethleem præparare; Eden aperire; omnis terra Juda nunc adornare : lætentur cæli, exsultent homines; in præsepio vita, in spelunca dives advenit, per misericordiæ multitudinem Adæ paupertatem restauraturus.

Ad te de luce cor meum vigilat, Verbum Dei, qui per misericordiam, teipsum pro homine lapso exinanisti sine mutatione, et servi formam ex Virgine induisti.

Stillent ex alto aquam nebulæ; qui enim nebulas posuit, descendit ipse adorandus in nebula Virgine, ut ab ipso inocciduum his luceat lumen, qui antea in tenebris periculisque versabantur.

O dulcissime puer, clamabat sancta Mater Domina, quomodo nutriam te; quomodo te apprehendam, qui omnia nutu retines? Quomodo fasciis involvam qui terras omnes nebula involvis!

Sol, fili mi, quomodo te sine metu intuebor quem contemplari non audent qui multos habent oculos.

Eia, Bethleem, præpara quæ ad partum pertinent! I, Joseph, inscribere cum Maria!... O venerandum præsepium! o deiferæ fasciæ, ubi vita nostra, Christus Deus involutus, mortis funes disrumpet, mortales alligans immortalitati!

(Ex *Anthologia græca.*)

V

NATALIS DOMINI

Salvator noster hodie natus est, gaudeamus! Neque enim locum fas est ibi esse tristitiæ, ubi natalis est vitæ,

quæ consumpto mortalitatis timore, nobis ingerit de promissa æternitate lætitiam.

Nemo ab hujus alacritatis participatione secernitur, una cunctis lætitiæ communis est ratio : quia Dominus noster, peccati mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. Exsultet sanctus, quia propinquat ad palmam : gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam : animetur gentilis, quia vocatur ad vitam. Dei namque Filius, secundum plenitudinem temporis (1), quam divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandam auctori suo naturam generis assumpsit humani, ut inventor mortis diabolus per ipsam quam vicerat vinceretur.

Agnosce, o christiane, dignitatem tuam et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire !

(S. Leo Magnus, *Sermo I de Nativitate Domini.*)

VI

NATALIS DOMINI

Quæ nova lux mundo, quæ tota gratia cælo !
Quis fuit ille nitor, Mariæ cum Christus ab alvo
Processit splendore novo !...
O facilis pietas ! Ne nos servile teneret,
Peccato dominante, jugum, servilia summus
Membra tulit Dominus, primique ab origine mundi
Omnia qui propriis vestit nascentia donis,
Obsitus exiguis habuit velamina pannis (2) :

(1) Comme s'il y avait *in plenitudine temporis.*
(2) M. à m. : Eut pour vêtement d'être couvert de pauvres langes.

Quemque procellosi non mobilis unda profundi,
Terrarum non omne solum, spatiosaque lati
Non capit aula poli, puerili in corpore plenus
Mansit, et angusto Deus in præsepe quievit.
Salve, sancta Parens, enixa puerpera (1) Regem
Qui cælum terramque tenet per secula, cujus
Numen et æterno complectens omnia gyro
Imperium sine fine manet; quæ ventre beato
Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam similem visa es, nec habere sequentem :
Sola, sine exemplo, placuisti femina Christo !

(SEDULIUS, *Carmen paschale*, lib. II, v. 48-68.)

VII

NATIVITAS DOMINI

Mirationem et gaudium movet.

Salvator noster natus de Patre sine die, voluit in terris habere natalem hunc diem quem celebramus.

Quisquis miraris, æternum mirare potius in die hodierno nascentem, ut a diei malitia nos liberet.

Adhuc mirare : quæ peperit et mater et virgo est : quem peperit et infans et verbum est. Merito cæli locuti, angeli gratulati, pastores lætati, magi invitati, reges turbati, parvuli coronati.

Lacta, Mater, cibum nostrum, lacta panem de cælo venientem et in præsepi positum, velut piorum cibaria jumentorum. Lacta eum qui talem fecit te, ut ipse fieret in te; qui tibi et munus fecunditatis attulit et decus

(1) *Puerpera enixa*, ô vous qui avez enfanté.

virginitatis non abstulit ; qui sibi priusquam nasceretur, et matrem de qua nasceretur et diem qua nasceretur elegit.

Cesset omnis sollicitudo, Christus nobis vera securitas advenit; cesset omnis infirmitas, hodie Salvator apparuit; cessent bella, cessent lites, hodie pax vera de cælo descendit ; cesset omnis amaritudo, hodie per totum mundum melliflui facti sunt cæli. Fugiat mors, quia vita nobis hodie de cælo est data : contremiscant inferi, quia instauratur humanum genus per interitum diaboli.

(S. AUGUSTINUS, *Sermo IV in Nativ. Domini.*)

VIII

NATALIS DOMINI

Jesus Christus Dei Filius nascitur in Bethleem Judæ.

• Sonuit vox lætitiæ in terra nostra, vox exsultationis et salutis in tabernaculis peccatorum. Auditum est verbum bonum, verbum consolatorium, sermo jucunditate plenus, dignus omni acceptione. Jubilate montes laudem, omnia ligna silvarum plaudite manibus ante faciem Domini, quia venit. Audite cæli, auribus percipe terra : obstupescite, omnes creaturæ, sed tu magis, o homo.

« Jesus Christus nascitur in Bethleem Judæ ! »

Quis tam lapidei cordis, cujus anima non liquefacta sit in hoc verbo? Quid annuntiari dulcius poterat, quid delectabilius commendari? Quid tale unquam auditum est, aut quid simile aliquando mundus accepit ?

« Jesus Christus, Dei Filius, nascitur in Bethleem Judæ ! »

O nativitas illibata sanctitate, honorabilis mundo, amabilis hominibus collati magnitudine mysterii, investigabilis etiam angelis sacri profunditate mysterii, et in his omnibus admirabilis singulari excellentia novitatis, utpote quæ nec primam similem visa est nec habere sequentem! O nativitas supra naturam sed pro natura, miraculi excellentia superans sed mysterii virtute reparans! Generationem istam quis enarrabit? Angelus nuntiat, Altissimi virtus obumbrat, Virgo credit et fide concipit, Virgo parturit et Virgo permanet. Nascitur Altissimi filius, Deus de Deo, genitus ante sæcula: nascitur Verbum infans: Quis vel satis miretur?

« Jesus Christus, Dei Filius, nascitur in Bethleem Judæ! »

Vos qui in pulvere estis, expergiscimini et laudate. Ecce Dominus venit cum *salute*, *venit* cum *unguentis*, venit cum *gloria*, Neque enim sine salute Jesus, neque sine unctione Christus, nec sine gloria Dei Filius, siquidem ipse salus, ipse unctio, ipse gloria.

Nascitur Jesus! Gaudeat quisquis perpetuæ damnationis reum adjudicabat conscientia. Excedit quippe pietas Jesu omnem criminum immanitatem et numerum.

Nascitur Christus! Lætetur quisquis vitiis expugnatur, siquidem ante faciem unctionis Christi, nullus omnino stare poterit morbus animæ quamlibet inveteratus.

Nascitur Filius Dei! Exsultet qui magna solet desiderare, magnus enim advenit munerator. Hic est heres: devote suscipiamus eum, sic enim nostra erit hereditas. Qui proprium Filium dedit, quomodo non omnia nobis simul cum Filio donabit?

Nemo discredat, nemo hæsitet; habemus testimonium credibile nimis: « Verbum caro factum est et habitavit

in nobis. » Fratres habere voluit unigenitus Dei Filius, ut esset in multis fratribus ipse primogenitus. Utque nihil hæsitet humanæ fragilitatis pusillanimitas, prius ipse factus est hominum frater, factus est hominis filius, factus est homo. Si et hoc homo judicat incredibile, fidem hodie astruunt cæli.

(S. BERNARDUS, *Sermo in vigil. Nativitatis.*)

IX

NATALIS DOMINI

Dies tua, Domine, tibi est similis, homines amat; idcirco ad ipsos continuata temporum serie traducitur et cum singulis redit annis.

Dies est quæ cum senibus consenuit et occidit, et denuo cum parvulis renovatur et oritur. Quæ nos olim invisit, transiit et abiit, eadem, pro sua benignitate, iterum nos revisit. Novit enim humanam naturam ipsius præsentia carere non posse : tibi similis perditum genus nostrum quærit. Mundus a suo fonte abesse non sustinet; ideo ut te, Domine, sic diem natalem tuum omnis terra sitit.

Omnes anni dies de hujus diei thesauro sua hausere decora, et solemnitates quæque ab istius magnificentia suam dignitatem suumque fenerantur ornamentum...

Benedicta dies, quæ nobis, per cæcam noctem, errantibus solem retulit ac divinum manipulum advexit, quo rerum omnium abundantia comparatur, uvæque præcocis simul obtulit racemum, occultum salutis continentem poculum.

Sub hiemem, quæ pomariis poma diripit, sterilis fetu divino vitis pubescit.

Sub frigida tempestate quæ arborum decussit ornatum, germen de Jessea stirpe se nobis erupit.

Mense decembri, qui semina terræ commissa tegit, de Virginis utero, spica cælestis exstitit, in quem, vere novo, quando in campis vagantur agnelli, e cælo descenderat.

(S. Éphrem.)

X

JESUS INFANS

Sæpe quærimus quare sic mundum Christus intrat ut sustineat vincla pannorum, cunabula toleret imbecilla, lacrimis lactis nutrimenta requirat, ætatum gradus necessitatesque sustineat?

— Et qualiter venire debuit qui voluit apportare gratiam, timorem pellere, quærere caritatem ? Natura docet omnes quid valeat, quid mereatur infantia. Infantia, quam barbariem non vincit, quam feritatem non mitigat, quam crudelitatem non comprimit, quem non compescit furorem, quam potestatem non deponit, quem non mollit rigorem, quam duritiam non resolvit, quid non amoris expostulat, quid non affectionis extorquet, quam non imponit gratiam, quam non impetrat caritatem? Hoc ita esse sciunt patres, matres sentiunt, probant omnes, humana viscera testantur. — Sic ergo nasci voluit, qui amari voluit, non timeri.

(S. Petrus Chrysologus, *Sermo de Epiphania et Magis*.)

XI

PASTORES AD PRÆSEPE

Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.

Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. — Et dixit illis Angelus : Nolite timere : ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. — Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio. — Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Et factum est ut discesserunt ab eis Angeli in cælum, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethleem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. — Et venerunt festinantes et invenerunt Mariam et Joseph et infantem positum in præsepio. — Videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero. — .... Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant et viderant.

(Luc , ch. II, v. 8-21.)

Hujus evangelicæ lectionis, a divo Ephrem poetice exornatæ, excerpta quædam, licet e græco conversa, non injucunda futura esse judicavimus :

« Confluxere pastores gregum suorum proventum portantes, dulcis copiam lactis, mundas carnes et decoram laudem.

« Distinxere munera, carnes Josepho, Mariæ lac, Filio laudem. Agno paschali agnum obtulere lactantem, primum Primo, hostiam Hostiæ, agnum caduci temporis Agno veritatis sempiternæ.

« Decorum sane spectaculum ! agnus oblatus agno ! Balavit agnus Unigenito præsentatus ; agnus Agno acceptam referebat gratiam quod, suo adventu, greges et armenta mactationi subtraxisset, et novum a vetere Paschate traductum Pascha Filii introduxisset.

« Adoravere pastores, et pastorum Principem prophetantes salutarunt.

« Mosaica virga, aiebant, tuum, universalis Pastor,
« sceptrum commendabat, quique illam portavit, Moses,
« Te Magnum prædicat, dolens gregum suorum mutatas
« formas, et agnos in lupos transisse, atque oves eva-
« sisse dracones bestiasque ferocissimas.

« Divine Pastor, hanc tibi acceptam profitentur gra-
« tiam pastores, quod lupos et agnos in easdem caulas
« congregraveris : Puer Noe antiquior, et Noe recen-
« tior, qui intra arcam, pelago fremente, pacem dissi-
« dentibus vectoribus sanxisti.

« David proavus tuus, agni necem leonis cæde vindi-
« cavit : tu vero, Fili David, occultum premisti lupum,
« a quo interfectus erat Adamus, agnus ille simplex
« qui in paradiso pastus est et balavit.

(S. Éphrem, *Hym. in Nativ. Domini.*)

XII

MAGI DIVINITATEM FILII MARIÆ TESTANTES

Estne Deus, cujus cunas veneratus Eous,
Lancibus auratis, regalia fercula supplex
Virginis ad gremium, pannis puerilibus offert?
Quis tam pennatus rapidoque simillimus Austro
Nuntius Auroræ populos atque ultima Bactra
Attigit, illuxisse (1) diem, lactantibus horis (2),
Qua tener innupto penderet ab ubere Christus (3)?
Vidimus hunc, aiunt, puerum per sidera ferri,
Et super antiquos signorum ardescere tractus.
Diriguit trepidans, Chaldæo in vertice pernox,
Astrologus, cessisse Anguem (4), fugisse Leonem,
Cornibus infractis domitum mugire Juvencum,
Sidus et Hircinum laceris marcescere villis...
Hunc ego non cumulem myrrhæque et turis et auri
Muneribus? scio quem videam, quæ dona rependam.
Hunc ego non venerer? qui, cælo visus humique
Inventus rex atque Deus, moderatur utrumque
Naturæ specimen (5), tumuloque inferna refringens
Regna, resurgentes secum jubet ire sepultos?
Cælum habitat, terris intervenit, abdita rumpit

(1) *Quis nuntius attigit = quis nuntiavit illuxisse diem.*

(2) *Lactantibus horis* : mot à mot : les heures nous décevant. *Lacto* est pris dans le sens de leurrer, tromper, faire concevoir de vaines espérances. Dans la pensée du poète, l'humanité, soupirant après la venue du Rédempteur, est ici comparée à un malade attendant impatiemment le lever du jour, et pour lequel, chaque heure qui sonne est une pénible déception. Volontiers nous traduirions *lactantibus horis* par : après de longues heures d'attente.

(3) *Penderet innupto ab ubere* : serait nourri, allaité par une Vierge. Gracieuse allusion à l'ineffable prérogative de la Reine des Anges, devenue Mère de Dieu, en restant vierge.

(4) *Leo*, *Serpens*, *Juvencus*, etc., signes du Zodiaque.

(5) *Utrumque naturæ specimen* : le monde visible et le monde invisible.

Tartara : vera fides, Deus est, qui totus ubique est.
Numquid vana viros aut mens aut lingua fefellit !
Numquid fortuitis frustrantia dona dederunt
Casibus, aut cæco votum sub honore dicarunt ?
Quæ porro causa, aut ratio submittere colla
Ante pedes Mariæ, puerique crepundia parvi,
Si tantum mortalis erat, nec summa potestas
Implebat teneros divinis flatibus artus ?

(PRUDENTIUS, *Apotheosis*, v. 608-638 sauf quelques vers.

XIII

BETHLEEM !

Non in Jerusalem Christus nascitur, civitate regia, sed in Bethleem, quæ minima est in millibus Juda. — O Bethleem parva, sed jam magnificata a Domino ! Magnificavit te qui factus est in te parvus ex magno. Lætare, Bethleem, et per omnes vicos festivum hodie cantetur Alleluia ! Quæ tibi civitas, si audiat, non invideat pretiosissimum illud stabulum et illius præsepii gloriam ? In universa siquidem terra, jam celebre nomen tuum, beatamque te dicunt omnes generationes. Ubique gloriosa dicuntur de te, civitas Dei ; ubique prædicatur, ubique clamatur : Jesus Christus, Dei Filius, natus est in Bethleem Judæ.

Sed discamus et nos ex hoc quomodo suscipi velit qui in Bethleem voluit nasci. Erat enim qui forte arbitraretur sublimia ei esse quærenda palatia, ubi cum gloria rex gloriæ susciperetur. Sed non propter hoc a regalibus sedibus venit. Horum omnium æterna in cælis affluentia suppetebat, sed paupertas illic non inveniebatur ; porro in terris abundabat et superabundabat hæc species, et nesciebat homo pretium ejus. Hanc itaque Dei Filius concupiscens descendit et elegit sibi, ut nobis quoque sua æstimatione faceret pretiosam.

Adorna thalamum tuum, Sion; sed paupertate, sed humilitate. In his enim pannis sibi complacet Christus, et Mariâ testante, his sericis delectatur involvi.

(S. BERNARDUS, *Sermo I, in vigilia Nativ.*, passim.)

XIV

STABAT

Le *Stabat* de la Crèche, aussi bien que le *Stabat* du Calvaire, est l'œuvre du Bienh. Jacopone de Lodi, de l'Ordre de saint François, né dans la première moitié du XIIIe siéle, et mort en 1306. Il l'écrivit, dit Ozanam, sur les mêmes mesures et sur les mêmes rythmes : tellement qu'on pourrait douter, un moment, lequel fut le premier, du chant de douleur, ou du chant d'allégresse. Cependant le chant du Calvaire a seul pris rang parmi les prières liturgiques.

Stabat Mater speciosa,
Juxta fenum gaudiosa,
Dum jacebat Filius.

Cujus animam gaudentem,
Lætabundam et ferventem
Pertransibat jubilus.

Quis est vir qui non gauderet,
Matrem Christi si videret
In tanto solatio ?

Quis non posset collætari,
Christi Matrem contemplari
Ludentem cum Filio ?

Vidit suum dulcem Natum
Vagientem adoratum
Vili diversorio !

Nato Christo in præsepi,
Cæli cives canunt læti,
Cum immenso gaudio.

Stabat senex cum puella,
Non cum verbo nec loquela
Stupescentes cordibus!

Eia, Mater, fons amoris,
Me sentire vim ardoris
Fac ut tecum sentiam!

Tui Nati cælo lapsi
Jam dignati feno nasci,
Pœnas mecum divide!

Fac ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum
Ut sibi complaceam!

Fac me vere congaudere,
Jesulino cohærere,
Donec ego vixero.

Fac me tecum satiari,
Nato tuo inebriari,
Stans inter tripudia!

Fac me nato custodiri,
Verbo Dei præmuniri,
Conservari gratia!

Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur
Tui Nati visio!

XV

OPPOSITIONES MIRABILES IN PRÆSEPE

Ibi agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana.

Ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens.

Videas, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, Deum denique lactentem, sed angelos reficientem, vagientem, sed miseros consolantem.

Videas, si attendas, tristari lætitiam, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari.

Sed, quod non minus mirandum, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans.

Vir enim erat Jesus nondum etiam natus, sed sapientia non ætate, animi vigore non viribus corporis, maturitate sensuum non corpulentia membrorum. Neque minor fuit sapientia conceptus quam natus, parvus quam magnus. Sive ergo latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive jam grandiusculus interrogans doctores in templo, sive jam perfectæ ætatis docens in populo, æque plenus fuit Spiritu sancto : spiritu sapientiæ et intellectus, spiritu consilii et fortitudinis, spiritu scientiæ et pietatis, spiritu timoris Domini.

(S. BERNARDUS, *Homilia II super* Missus est.)

XVI

MARIÆ CANTUS AD CUNABULA JESU

Dum Virgo vagientem
Somnumque cupientem
Sopire vult ocellum,
Sic invocat puellum :
O Amor ! o dormi,
Jesule mi !

O Agne concupite!
O Vita, Stella vitæ!
O Planta, corde nata!
O Gemma delicata!
O Amor! o dormi,
Jesule mi!

O Numen, o Puelle!
O Nate, plene melle!
O Fons beatitatis!
Aurora claritatis!
O Amor! o dormi,
Jesule mi!

O gaudium parentis
Solatiumque mentis!
O Nate, Sponse, Frater!
Te cantat alma Mater:
O Amor! o dormi,
Jesule mi!

Te buca mugientis,
Te barbiton rudentis,
Mecum choro triformi
Rogant: ocelle, dormi!
O Amor! o dormi,
Jesule mi!

Vis cælicos olores,
Vis consonos amores,
Vis musicos decentes?
Heus! angelicos canentes!
O Amor, o dormi,
Jesule mi!

(Adamus a Sancto Victore.)

XVII

TRINUM CHRISTI RECLINATORIUM

Tria Christus habet reclinatoria. Primum quidem apud Patrem, ut ipse ait : « Ego in Patre et Pater in me est. » Nihil æquabilius alterna horum requie, nihil delectabilius. Pater sibi complacet in Filio, et Filius in Patre, et in hac mutua simulque ineffabili dilectione, perfectam suam felicitatem habent.

Illa autem retenta unitate indissolubili, et sine coæternitatis dispendio, Filius aliud, in gremio Beatæ Virginis, sibi elegit reclinatorium, cum videlicet, obumbrante Sancto Spiritu, in ea requievit et quasi longos fecit somnos, dum humani sui corporis componendi moras expectabat. Interim cum esset in accubitu suo, nullas ei molestias integerrima Virgo excitavit, sed cæleste silentium per omnes animi motus continuit, intrinsecusque rapta, arcana audiebat quæ non licet homini loqui.

Tertium denique Christi reclinatorium cor ipsius hominis, id est, cor mundatum fide, caritate dilatatum, cælesti exaltatum contemplatione, necnon spiritus sanctificatione innovatum. Tale enim cor non terrenum Christo sed cæleste præparat hospitium, in quo sane reclinari non recusabit Puer qui natus est nobis.

(Petrus Cellensis, *Sermo IV de Nativ. Domini*, passim.)

XVIII

SANCTI INNOCENTES

Audit tyrannus anxius
Adesse regum principem,
Qui nomen Israel regat,
Teneatque David regiam.

Exclamat amens nuntio,
Successor instat, pellimur :
Satelles, i, ferrum rape,
Perfunde cunas sanguine.

Transfigit ergo carnifex,
Mucrone districto, furens
Effusa nuper corpora,
Animasque rimatur novas.

Locum minutis artubus
Vix interemptor invenit,
Quo plaga descendat patens,
Juguloque major pugio est.

Salvete, flores martyrum,
Quos, lucis ipso in limine,
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.

Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram ante ipsam simplices
Palma et coronis luditis !

Quid proficit tantum nefas ?
Quid crimen Herodem juvat ?
Unus tot inter funera
Impune Christus tollitur.

Inter coævi sanguinis
Fluenta, solus integer,
Ferrum quod orbabat nurus,
Partus fefellit Virginis.

(PRUDENTIUS, *Hymnus de Epiphania.*)

XIX

DE DUPLICI GENERATIONE FILII MARIÆ

« Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret (Maria). Et peperit Filium primogenitum, et pannis eum involvit et posuit in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio. » (Luc., cap. II, v. 6, 7.)

Breviter sanctus Lucas et *quomodo* et *quo tempore*, *et quo loco* secundum carnem Christus sit natus explicavit. At vero de cælesti generatione si quæris, lege evangelium sancti Joannis, qui a cælestibus exorsus ad terrena descendit. Illic invenies et *quando erat*, et *quomodo erat*, et *quid erat; quid egerat*, *quid agebat*, et *ubi erat* et *quo venit*, et *quomodo venerit; quo tempore venerit*, *qua causa venerit.*

« In principio, ait, erat Verbum. » — Habes *quando erat.*

« Et Verbum erat apud Deum. » — Habes *quomodo erat.*

Habes etiam *quid erat*: « Et Deus, inquit, erat Verbum. »

Quid egerat: « Omnia per ipsum facta sunt. »

Quid agebat: « Erat lux vera quæ illuminat omnem « hominem venientem in hunc mundum. »

Ubi erat: « In hoc mundo erat. »

Quo venerit : « In sua propria venit. »

Quomodo venerit : « Verbum caro factum est. »

Quando venerit Joannes testimonium perhibet dicens : « Hic est de quo dixi vobis : Qui post me venit ante me factus est, quia prior me erat. »

Qua causa venerit idem Joannes sic testatur. « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. »

Jam nunc generationem utramque cognovimus et utriusque munus unum; et causam qua venit advertimus, ut pereuntis mundi peccata suscipiens, peccati labem et omnium mortem in se qui vinci non posset aboleret.

Ille igitur parvulus, ille infantulus fuit ut tu vir possis esse perfectus; ille pannis involutus ut tu mortis laqueis sis absolutus : ille in præsepibus ut tu in altaribus; ille in terris ut tu in cælis : ille locum non habebat in diversorio, ut tu plures in cælestibus sedibus haberes mansiones : « Qui cum dives esset, inquit Paulus, propter vos factus est pauper, ut illius inopia vos ditaremini. »

Meum ergo paupertas illa patrimonium est, et infirmitas Dei mea est virtus. Maluit sibi egere ut omnibus abundaremus. Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea illæ lacrimæ delicta lavarunt. Plus igitur, Domine Jesu, injuriis tuis debeo quod redemptus sum, quam operibus quod creatus sum! Non prodesset nasci nisi redimi profuisset!

(S. AMBROSIUS, *Explic. Evang. secundum Lucam.*)

XX

VENIT NON JUDICARE SED SALVARE

Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris (ad Titum, III, 4).

Apparuerat antea Dei potentia in rerum creatione, apparebat sapientia in earum gubernatione, sed misericordiæ benignitas nunc maxime apparuit in humanitate...

Quid tu times, o homo? quid trepidas a facie Domini quia venit? Venit non judicare, sed salvare terram. Olim tibi persuasum erat ab infideli quodam servo, ut furtim tolleres et tuo capiti imponeres regium diadema. Deprehensus in furto, quidni timeres? quidni fugeres a facie Dei? forte enim jam gladium vibrabat igneum.

Nunc in exilio positus, in sudore tui vultus pane vesceris: et ecce vox audita est in terra quia Dominus venit. Quo ibis a spiritu ejus et quo a facie ejus fugies?... — Noli fugere, noli timere. Non venit in armis: non puniendum, sed salvandum requirit. Et ne forte dicas etiam nunc: « Vocem tuam audivi et me abscondi, » ecce infans est et sine voce. Nam vagientis vox magis miseranda quam timenda; aut si alicui forte terribilis, sed non tibi. Parvulus factus est; terrena ejus membra Virgo Mater pannis alligat, et adhuc trepidas?

Vel in hoc scies quod non venit te perdere, sed salvare, eripere et non ligare; jam adversus hostes tuos dimicat, jam superborum et sublimium colla, tanquam Dei virtus et sapientia calcat. Duo tibi sunt hostes, peccatum nempe et mors, id est mors corporis et animæ. Utrumque debellaturus advenit et ab utroque te salvabit.

(S. Bernardus, *Sermo I in Nativ. Domini.*)

XXI

SALVATORIS LACRIMÆ IN PRÆSEPE

Plorat Christus, plorat Beatæ Virginis Filius in præsepe, sed non sicut ceteri infantes, aut certe non ob eamdem causam. In aliis sensus, in Christo prævalet affectus. Illi ex passione lugent, Christus ex compassione. Illi jugum grave quod est super omnes Adæ filios, Christus Adæ filiorum

peccata deplorat; et certe, pro quibus nunc lacrimas fundit, postea fundet et sanguinem.

O cordis mei duritia! Utinam Domine, sicut Verbum caro factum est, ita et cor meum carneum fiat, siquidem et hoc pollicitus es per prophetam : « Auferam, inquit, a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum. »

Lacrimæ Christi pudorem mihi pariunt et dolorem. Ludebam ego foris in platea, et, in regalis cubiculi secreto, super me mortis ferebatur judicium. Hæc audit Regis unigenitus : exit statim, posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens et ejulans quod morte servulus damnatus esset. Procedentem illum subito intueor, stupeo novitatem, causam percontor et audio. Quid sum facturus? adhucne ludam, deludens lacrimas ejus?

Plane si insanus sum et mentis inops eum non sequar, nec simul cum lugente lugebo.

(S. BERNARDUS, *Sermo III in Nativ. Domini.*)

XXII

FUGA IN ÆGYPTUM

Evangelii lectio movet corda, stupere facit auditum : « Ecce, inquit, angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : « Surge, accipe Puerum et Matrem ejus « et fuge in Ægyptum. »

Cui nascenti virginitas non resistit, quæ vis, quæ potestas, quod discrimen prævaleret ut compelleretur ad fugam?

« Accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum. » Reverentius diceret : « Vade in Ægyptum », ut esset pro-

fectio non fuga, voluntas non necessitas, judicium non metus. At nunc mandatur per Angelum (ut videatur cælum timor ante tenuisse quam terram):

« Accipe puerum et matrem ejus et fuge in Ægyptum. » — « In Ægyptum fuge », a tuis ad extraneos, ad sacrilegos a sanctis, a templo tuo ad dæmonum fana, a regione sanctorum ad idolorum patriam. — Sic Judææ non sufficit latitudo, sic angustatur sæculi diffusa possessio, non capit secretum templi, sacerdotum turba non suscipit, non abscondit numerositas investigabilis cognatorum, ut ad Deitatis latebras profana Ægyptus conducatur! Sic non vacat intueri verecundiam Virginis, laborem Matris, periculum Joseph, itineris ærumnas, et forte totius domus exitium!

Quod fugit Christus fuit mysterii non timoris, fuit liberatio non periculum Creatoris; divinæ virtutis fuit, non fragilitatis humanæ: non fuit propter auctoris mortem, sed propter sæculi vitam. Nam qui mori venerat, cur fugeret mortem? Christus totam nostræ salutis causam occiderat, si se parvulum permisisset occidi. Christus venerat ut quos præceptis docuerat firmaret exemplis; ut ipse faceret quæ facienda mandaverat, et *visu* probaret possibilia quæ impossibilia videbantur *auditu*. Venerat ut mundo notitiam suæ deitatis infunderet et humani generis ignorantiam auferret. Omnia hæc utique nobis periissent, nisi Christus, cum esset in cunabulis, fugisset.

(S. PETRUS CHRYSOLOGUS, *Sermo CLI, de Fuga in Ægyptum.*)

XXIII

MIRABILIA DEI IN LIMO PER INCARNATIONEM

Deus terreno limo vim vitalem primum miscuit, ut in arboribus, unde oritur venustas in foliis, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus et medicina. Nec satis : adjecit vim sensibilem, ut in pecoribus, quæ non solum vitam habent, sed et sentiunt. Addidit adhuc limum honorare, et ei vim rationalem immisit, ut in hominibus, qui non solum vivunt atque sentiunt, sed et discernunt commodum inter et incommodum, bonum inter et malum.

Nil ultra pote videbatur. — Voluit tamen Creator infirmiora nostra longe abundantiori gratia sublimare, et contraxit se Majestas, ut quod melius habebat, seipsum videlicet, limo nostro conjungeret, atque in persona una, sibi invicem unirentur Deus et limus, majestas et infirmitas, tanta vilitas et sublimitas tanta. Nihil enim Deo sublimius, nil vilius limo : attamen tanta dignatione descendit in limum Deus, tantaque dignitate limus ascendit in Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limum fecisse credatur et quidquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili quam incomprehensibili sacramento.

Adverte, homo, quia pulvis es, et non sis superbus !
Quia Deo conjunctus es, et non sis ingratus !

(S. Bernardus, *Sermo III in vigilia Nativ.*)

XXIV

ROMA ET BETHLEEM

Saint Jérôme a quitté Rome, et, retiré à Bethléem, il voudrait réunir dans cet asile, tous ceux qui lui sont le plus chers. Tantôt il écrit lui-même, tantôt il emploie la douce autorité de Paula et d'Eustochium. — De la touchante lettre par laquelle ces deux belles âmes invitent Marcella à venir les rejoindre, nous nous reprocherions de ne pas extraire le vivant contraste qu'elles établissent entre Rome et Bethléem.

Lege Apocalypsim Joannis et quid de muliere purpurata (1) et scripta in ejus fronte blasphemia, septem montibus, aquis multis, et Babylonis cantetur exitu, contuere : « Exite, inquit Dominus, de illa, popule meus, ne participes sitis delictorum ejus et de plagis ejus accipiatis » (Apoc., XVIII, 4.)

Est quidem ibi (Romæ) sancta Ecclesia, sunt trophæa aspotolorum et martyrum : est Christi vera confessio, est ab Apostolo prædicata fides, et, gentilitate calcata, in sublime se erigens vocabulum christianum. Sed ipsa ambitio, potentia, magnitudo urbis, videri et videre, salutari et salutare, laudare et detrahere, vel audire vel proloqui, et tantam frequentiam hominum saltem invitum (2) videre, a proposito monachorum et quiete aliena sunt.

Aut enim videmus venientes ad nos, et silentium perdimus, aut non videmus et superbiæ arguimur. Interdumque, ut visitantibus reddamus vicem, ad superbas fores pergimus, et, inter linguas rodentium ministrorum, postes ingredimur auratos.

In Christi vero, ut supra diximus, villula, tota rusticitas, et extra psalmos silentium est. Quocumque te verteris, arator stivam tenens alleluia decantat. Sudans messor psalmis se avocat, et curva attondens vitem falce

(1) Description allégorique de Rome païenne.
(2) *Invitum*, malgré soi, contre son gré.

vinitor aliquid Davidicum canit. Hæc sunt in hac provincia carmina ; hæ, ut vulgo dicitur, amatoriæ cantationes. Hic pastorum sibilus, hæc arma culturæ.

(*Ep. XLIV Paulæ et Eustochii ad Marcellam.*)

XXV

SANCTA PAULA AD PRÆSEPE DOMINI

. . . Deinde, pro facultate sua, pauperibus atque conservis pecunia distributa, perrexit ad Bethleem, et in dextera parte itineris stetit ad sepulcrum Rachel. Atque inde Bethleem ingressa, et in specum Salvatoris introiens, postquam videt sacrum Virginis diversorium et stabulum in quo *agnovit bos possessorem suum et asinus præsepe Domini sui*, me audiente, jurabat cernere se oculis fidei infantem pannis involutum, vagientem in præsepe Dominum, Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, Matrem Virginem, nutritium sedulum, pastores nocte venientes, parvulos interfectos, Herodem sævientem, Joseph et Mariam fugientes in Ægyptum.

Mixtisque lacrimis loquebatur : « Salve, Bethleem, domus panis, in qua natus est ille panis qui de cælo descendit. Salve, Ephrata ! regio uberrima, cujus fertilitas Deus est. De te quondam Michæas vaticinatus est: *Et tu Bethleem, domus Ephrata, non minimà es in millibus Juda. Ex te enim egredietur qui sit princeps in Israel, et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis.* In te enim natus est Princeps qui ante luciferum genitus est, cujus de Patre nativitas omnem excedit ætatem...

« Et ego misera atque peccatrix digna sum judi-

cata deosculari præsepe in quo Dominus parvulus vagit, orare in spelunca in qua Virgo puerpera Dominum fudit ! Hæc requies mea, quia Domini patria est : hæc habitatio, quoniam Salvator elegit eam. »

(S. Hieronymus, *Epist. ad Eustochium.*)

XXVI

JESUM AMEMUS

Purpureum florem forma deceptus amabam,
Venit hiems rapuitque meum mihi barbara florem.

Huic successit apis ; digitum sub acumine læsit.
Post etiam nostros meruit sibi passer amores ;
At celeri aufugiens lusit me perfidus ala.

Dilexi et Thyrsim ; mors abstulit improba Thyrsim.

Nunc te, Christe, unum, nunc toto pectore amabo,
Cui neque bruma potest neque mors inimica nocere,
Quique tuos nec, Christe, fugis nec lædis amantes.

(Du Cerceau, S. J.)

NAZARETH

NAZARETH

I

ROSA E SPINIS

Expulerat primogenitum sævissimus anguis
Florigera de sede virum, blandique saporis
Illecebris, letum misero potarat amarum.
Nec solus meritam præsumptor senserat iram
Mortali sub lege jacens, sed prorsus ab ipso
Humanum simul omne genus. Heu ! noxia conjux,
Noxia tu conjux magis, an draco perfidus ille ?
Perfidus ille draco, sed tu quoque noxia conjux.
Pro dolor ! æterni fuerant duo. Crescere postquam
Cœpit origo perit, clademque a semine sumpsit.
Quid numerosa dies ? quid tempore proderat illo
Cernere nongentos ultra feliciter annos,
Progeniemque senum decimam spectare nepotum,
Jamque suum nescire genus? cum vecta supremis
Cursibus, extremæ sors irreparabilis horæ,
Sera licet, ventura foret, longumque per ævum
Vita brevis nil esse diu cum fine doleret;
Nec reducem spes ferret opem, primique sepulcrum
Terrigenæ cæca sorberet fauce nepotes;
Ni prius ille sator, culpas ignoscere promptus,
Reddere difficilis, sua ne factura periret
Quæque Deo similis vivens astabat imago
Dissimilis de morte fieret, veniale misertus

Instauraret opus, pomisque vetaret acerbis
Quæ mandere patres natorum horrescere dentes,
Donaretque suis semper placatus, ut unde
Culpa dedit mortem, pietas daret inde salutem;
Et velut e spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens, matremque obscurat honore,
Sic Evæ de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus nova Virgo piaret;
Et quoniam natura prior vitiata jacebat
Sub dicione necis, Christo nascente, renasci
Posset homo, et veteris maculam deponere carnis.

(SEDULIUS, *Carmen paschale.*)

II

MARIA CÆLUM NOVUM, TERRA NOVA, MARE NOVUM

Cum homo, per immensam Dei bonitatem, in rerum creatarum naturam edendus esset, in primis cælum extenditur, substernitur terra, suis mare terminis clauditur, ceteraque omnia quibus utraque complenda essent, in orbis ornatu producta sunt. Tunc postremum homo, regio cultu, in paradiso, velut in virtutis schola ponitur, ac nisi præceptum violasset, ab illo vitali loco nunquam exulasset.

Cunctis autem deditioni deditis, miserator Deus, ne quem ipse suis manibus formaverat in nihilum cederet penitusque deleretur, cælum aliud novum terramque ac mare fabricavit, in quibus, propensiore consilio, humanum genus reformaturus ipse caperetur qui capi

nusquam potest. Ea porro est beata multipliciterque laudanda Virgo Maria.

O rem miram ! *Cælum* quidem est Maria, cum velut ex penitissimis virginitatis thesauris, solem justitiæ proferat.

Terra vero est quæ, ex intemeratis lumbis, vitæ spicam edat.

Mare tandem, utpote quæ ex uteri sui substantia spiritalem margaritam prodit.

Quam mundus iste magnificus ! quam stupenda creatio ista ! virtutum fructibus decorata, castitatis floribus odorata, locorum splendore illustrata, cunctisque bonis cumulate dotata, digna denique prorsus in qua Deus ad homines veniens inhabitaret !

Mundus anterior maxime admirabilis, ideoque, cum creata fuerunt sidera, angeli, testante Scriptura, laudaverunt Deum voce magna et prædicavere ; nihil vero sic Deo decens fuit atque gratum ut sancta omnibusque modis miranda Virgo Maria.

(S. JOANNES DAMASCENUS, *Sermo in Nativ. B. Mariæ Virginis.*)

III

NUNTIUS NAZARENUS

Humani generis
Cessent suspiria,
Beata miseris
Affert hic nuntia
Dies mortalibus.

Unius scelere
Cuncti concidimus,
Lapsos erigere
Venit altissimus,
De cæli sedibus.

Delectæ Virgini
Quæ Deum pariat,
Angelus Domini
Salutis nuntiat
Nostræ mysterium.

O Beatissima
Præ mulieribus,
Virgo castissima,
Deum visceribus
Suscipe Filium.

Virtute Spiritus,
In sinu Virginis,
Innocens penitus
A labe criminis
Caro compingitur.

Per hanc infantibus
Lactescit teneris,
Ille qui mentibus
Panis a superis
In cælis editur.

Corpus hoc offeret
In sacrificium ;
Servos ut liberet,
Totum in pretium
Effundet sanguinem.

Errabam devius,
Exul a patria,
Semite nescius
Ad vera gaudia
Per quem regrediar ?

In mea Dominus
Venit auxilia,
Viæque terminus
Ipse fit et via :
Tutus hac gradiar.

Et tu, pro miseris
Supplica numini,
Quæ te dum asseris
Ancillam Domini,
Fis mundi Domina.

IV

NAZARETH

Thesaurus Dei, hereditas et flos Domini.

« Missus est Gabriel Angelus in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth. »

Miraris quod Nazareth, parva civitas, et tanti regis nuntio illustretur et tanto. Sed magnus latet in hac parva civitate thesaurus: latet, inquam, homines, sed non Deum. An non thesaurus Dei Maria? Ubicumque illa est, et cor ejus. Oculi ejus super eam; ubique respicit humilitatem ancillæ suæ.

Novit cælum unigenitus Dei Patris. Si novit cælum, et Nazareth. Quidni sciat patriam? quidni noverit hereditatem suam? Cælum a Patre, Nazareth ex Matre vindicat sibi. Nonne in psalmis legitur : « Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum. » Cedat ergo ei utrumque in possessionem, quia non modo Dominus sed et Filius hominis est.

Neque hinc discrepat quod Nazareth interpretatur flos. Amat enim florigeram patriam flos de radice Jesse, libenterque pascitur inter lilia flos campi et lilium convallium. Commendat enim flores gratia triplex, pulchritudo nempe, suaveolentia et spes fructus.

Teque florem suum reputat Dominus et bene illi in te complacebit, si tibi nec honestæ conversationis decor, nec bonæ opinionis fragrantia, nec futuræ retributionis desiderium, fructus enim spiritus est vita æterna.

(S. Bernardus, *Sermo III in Annunt. B. Virginis.*)

V

FLOS CAMPI

Virgo Dei Genitrix virga est de radice Jesse procedens, flos Filius ejus. — Flos utique Virginis Filius, flos candidus et rubicundus, electus ex millibus, flos in quem desiderant angeli prospicere, flos ad cujus odorem revi-

viscunt mortui, et, sicut ipse testatur, flos campi et non horti. Campus enim sine omni humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, non sarculo defossus, non fimo impinguatus. Sic omnino, sic Virgo floruit, sic inviolata, sic integra et casta Mariæ viscera, tanquam æterni viroris pascua, florem protulere, cujus pulchritudo non videat corruptionem, cujus gloria in perpetuum maneat.

O Virgo, virga sublimis, in quam sublime verticem sanctum erigis ! usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum majestatis. Neque id mirum, quoniam in altum mittis humilitatis radices. O cælestis planta, pretiosior cunctis, sanctior universis ! O vere lignum vitæ, quod solum fuit dignum salutis portare fructum !

(S. BERNARDUS, *Sermo II de Adventu.*)

VI

APIS NAZARENA

Apis habet mellis dulcedinem, habet etiam aculei punctionem. Apis vero est quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam angelorum. Unde et civitatem Nazareth quæ interpretatur flos advolavit, et ad suave olentem perpetuæ virginitatis florem adveniens, illi insedit, illi adhæsit.

Hujus apis mel et aculeum non ignorat, qui misericordiam ei et judicium cum propheta decantat. Attamen ad nos veniens, mel solum attulit et non aculeum, id est, misericordiam et non judicium ; ita ut, suadentibus quandoque discipulis ut civitatem quæ eum suscipere noluit præciperet igne consumi, respondit Filium hominis non venisse ut judicaret, sed ut salvaret mundum.

Non habebat aculeum apis nostra, quodammodo deposuerat, cum tot indigna patiens misericordiam exhibebat et non judicium.

Sed « nolite sperare in iniquitate, nolite peccare in spe » ; habet enim apis divina quandoque assumere aculeum, et acriter nimis illum infigere in medullas peccatorum, quoniam « Pater non judicat quemquam, *sed Filio dedit omne judicium* ».

(S. BERNARDUS, *Sermo II de Adventu.*)

VII

FAMILIARUM SANCTISSIMA

O gente felix hospita,
Augusta sedes Nazaræ,
Quæ fovit alma Ecclesiæ
Et protulit primordia.

Sol qui pererrat aureo
Terras jacentes lumine,
Nil gratius, per sæcula,
Hac vidit sede aut sanctius.

Ad hanc frequentes convolant
Cælestis aulæ nuntii,
Virtutis hoc sacrarium
Visunt, revisunt, excolunt.

Qua mente Jesus, qua manu
Optata Patris perficit !
Quo Virgo gestit gaudio
Materna obire munera !

Adest amoris particeps
Curæque Joseph conjugi,
Quos mille jungit nexibus
Virtutis auctor gratia.

Hi, diligentes invicem,
In Jesu amorem confluunt,
Utrique Jesus mutuæ
Dat caritatis præmia.

Sic fiat, ut nos caritas
Jungat perenni fœdere,
Pacemque alens domesticam,
Amara vitæ temperet.

(Leo XIII, S. P.)

VIII

FABRI FILIUS

Sacra jam splendent decorata lychnis
Templa, jam sertis redimitur ara,
Et pio fumant redolentque acerræ
Turis honore.

Num juvat summo Geniti Parente
Regios ortus celebrare cantu?
Num domus David decora et vetustæ
Nomina gentis?

Gratius nobis memorare parvum
Nazaræ tectum, tenuemque cultum;
Gratius Jesu tacitam referre
Carmine vitam.

Nili ab extremis peregrinus oris,
Angeli ductu, propere remigrat,
Multa perpessus puer, et paterno
Limine sospes.

Arte qua Joseph humili excolendus,
Abdito Jesus juvenescit ævo,
Seque fabrilis socium laboris
Adjicit ultro.

Irriget sudor mea membra, dixit,
Antequam sparso madeant cruore:
Hæc quoque humano generi expiando
Pœna luatur.

Assidet Nato pia Mater almo,
Assidet sponso bona nupta; felix
Si potest curas relevare fessis,
Munere amico.

O neque expertes operæ et laboris,
Nec mali ignari, miseros juvate,
Quos, reluctantes per acuta rerum,
Urget egestas.

Mittite his fastus quibus ampla splendet
Faustitas, mentem date rebus æquam:
Quotquot implorant columen, benigno
Cernite vultu.

(LEO XIII, S. P.)

IX

ET ERAT SUBDITUS ILLIS!

« Fili, quid fecisti nobis sic?... » — Quis hoc audeat angelorum? Eis sufficit et pro magno habent, quod cum sint spiritus ex condicione, ex gratia angeli facti sunt et vocati, testante David: « Qui facit, inquit, angelos suos spiritus. »

Maria vero Matrem se agnoscens, majestatem illam, cui angeli cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium. Nec dedignatur nuncupari Deus quod

esse dignatus est. Nam paulo post subdit evangelista : « Et erat subditus illis. » Quis? quibus? Deus hominibus; Deus, inquam, cui angeli subditi sunt, cui principatus et potestates obœdiunt, subditus erat Mariæ, nec tantum Mariæ, sed etiam Joseph propter Mariam.—Mirare ergo utrumlibet, et elige quod amplius mireris sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum : et quod Deus feminæ obtemperet, humilitas absque exemplo, et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur quod « sequuntur Agnum quocumque ierit ». Quibus ergo laudibus dignam judicas quæ etiam præit?

Disce, homo, obœdire ; disce, terra, subdi ; disce, pulvis, obtemperare. De auctore tuo loquens evangelista : « Et erat, inquit, subditus illis. » Haud dubium quin Mariæ et Joseph. — Erubesce superbe cinis, Deus se humiliat et tu te exaltas ! Deus se hominibus subdit, et tu, dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori !

(S. Bernardus, *Homilia I super* Missus est.)

X

MIRABILIS PINCERNA

« Vinum non habent !... » Deficit vinum in cadis nostris; vinum scilicet lætificans cor hominis. Non de illo agitur in quo est luxuria : vinum quærimus quod, testante propheta, germinat virgines.

Harum pincerna tu, ô Maria : calix in manu tua vini meri, amoris divini. Dic, Domina rerum, dic pro nobis Filio tuo : « Vinum non habent. »

Calix vini hujus inebrians quam præclarus est! Inebriat, calefacit, acuit, audaces facit et fortes, lætificat cor hominis.

Hoc a te et per te speramus, non solum vinum, sed et panem. Panis enim cor hominis confirmat : panis ille de quo scriptura dixit : « Panem Angelorum manducavit homo » ; et ipse Filius : « Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. »

(S. BERNARDUS, *Sermo IV in* Salve Regina, passim.)

XI

AD CANANÆAM VIRGINEM DEPRECATIO

Ecce, Mater amabilis, ecce memini istius verbi tui : « Quodcumque dixerit Filius meus facite. » Memini quoque quod huic voci tuæ : « Vinum non habent », statim annuerit Jesus.

Nunc igitur rogo ut ei de me dicas : Ecce pauperculus ille vinum non habet, id est, nec vim sursum se erigendi, nec caritatis ignem, nec ardorem virtutis ; nihil illi nisi aqua superest, id est, nihil nisi mortalis frigiditas, vomitorius tepor, cujusvis impotens debilitas. Hæc, Mater, hæc dicas, quæso, ut per te cuidam ex cælestibus ministris pro me dicat Jesus : « Imple hydriam », et aqua mea in vinum convertatur. Rogo, tandem, ut sciam quid desit mihi, et indices quid me oporteat dicere et petere. Et quoniam qui petit sine te sine alis volare tentat, ille meas

Sumat per te preces
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

(ABBÉ PILLOT, *Marie dans ses figures, ses symboles...*)

XII

PUER JESUS IN OFFICINA JOSEPH VULNERATUR

Dum rudis exercet durum sub patre laborem,
Imbellique manu seram molitur Jesus,
Ecce cutem recto de tramite devia cuspis
Vulnerat, et sacro respergit sanguine lævam.
Sensit Virgo parens ; simul advolat atque dolorem
Flebilibus testata modis, sugensque cruorem
Qua potis est fovet arte malum mulcetque medendo.
Olli subridens divus Puer et sacra figens
Oscula : Parce, Mater, dixit, carissima Mater,
Nam cur sollicitam te guttula sanguinis angit ?
Pone modum lacrimis, teque ad majora reserva.
Tempus erit, manus hæc clavo cum fixa trabali,
Sanguineos fundet longo cum vulnere rivos.

(P. Lejay, S. J.)

XIII

DIALOGUS PUERI JESU ET VIRGINIS MATRIS

(E *Cantico Canticorum* imitatus.)

Puer. — Virgo, sidereis pulchrior ignibus,
Auro fulgidior, lucidior vitro,
Rubro gratior ostro,
Alba candidior rosa.

Virgo. — Jesu, purpureo clarior Hespero,
Luna splendidior, sole serenior,
Vernis gratior arvis,
Hiberna nive purior.

PUER. — Sic fulges oculis, ut geminus prope
Qui cum lusit agris fons Eseboniis
Clausum stare quieto
Se miratur in otio.

VIRGO. — Sic luces oculis, ut geminæ prope
Lucent, seu fluvio, sive liquentibus
Lotæ lacte columbæ
Assedere canalibus.

PUER. — Quisquis, Virgo, tuas aspiciet genas,
Pœnis aspiciet mala rubentia
Ramis : cetera claudunt
Imo se bona pectore.

VIRGO. — Quisquis, Nate, tuis hæserit in genis,
Pictam dispositis artifici manu
Liliisque rosisque
Emirabitur aream.

PUER. — Qui te non amat, est barbarior feris,
Pardis asperior, tigride sævior,
Impacatior ursis,
Iracundior anguibus.

VIRGO. — Qui te non amat, est marmore durior,
Saxis horridior, surdior æquore,
Inconstantior auris,
Immansuetior ignibus.

(P. SARBIEWSKI, S. J.)

XIV

MARIÆ HUMILITAS IN SILENTIO

In omni evangelicarum lectionum serie, nonnisi quater Maria loquens auditur :

Primum ad angelum, sed cum jam semel atque iterum eam ille fuisset allocutus ;

Ad Elisabeth deinde, quando salutationis voce exsultavit Joannes in utero, et, matre magnificante Mariam, ipsa magis Dominum magnificare curavit ;

Tertio ad Filium, cum jam esset annorum duodecim, quod ipsa et pater dolentes quæsissent.

Tandem ad Filium et ministros in Canæ nuptiis. Et is quidem sermo ingenitæ mansuetudinis, virginalisque pudoris certissimus index. Aliorum quippe suam reputans verecundiam, sustinere non potuit vini dissimulare defectum. Ibi sane a Filio fuit increpata, sed mitis et humilis corde nec illi respondit, nec tamen desperavit, ministros admonens ut quod diceret facerent.

Numquid non ab initio venisse pastores, et primam omnium Mariam invenisse legitur? « Invenerunt, ait evangelista, Mariam et Joseph et infantem positum in præsepio. » Sic et Magi, si recolis, non sine Maria matre puerum invenerunt. Et cum in Domini templum, templi Dominum induceret, multa quidem a Simeone, tam de Filio quam de se ipsa audivit ; sed tarda ad loquendum et velox ad audiendum, Maria « conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo » ; in hisque omnibus, nec de ipso dominicæ Incarnationis sacramento quodcumque verbum fecisse reperies.

Filioli, si Mariam diligitis, placere Mariæ si contenditis, ejus modestiam æmulamini ; nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano.

(S. Bernardus, *Sermo in Dominica infra octavam Assumpt.*)

XV

MARIÆ HUMILITAS IN SERMONE

Jam, ut vidimus, Mariæ humilitas in silentio commendatur, sed evidentius resonat in sermone.

Ab angelo audit : « Quod ex te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei », et nihil aliud nisi Domini ancillam se esse respondet.

Ventum est ad Elisabeth, cui continuo Virginis gloria singularis per Spiritum revelatur : Miratur personam venientis : « Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini ad me ? »

— Commendat vocem salutantis : « Ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit gaudio infans in utero meo. »

— Beatificat fidem credentis : « Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Domino. »

Magna quidem præconia, sed devota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit cujus in se beneficia laudantur :

« Tu, inquit, magnificas matrem Domini, sed magnificat anima mea Dominum.

« In voce mea filium perhibes gaudio exsultasse, sed exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

« Beatam esse dicis quæ credidit, sed fidei et beatitudinis causa respectus est supernæ bonitatis, et ex hoc magis Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem et exiguam respexit Deus. »

Agit hoc nimirum in electorum cordibus gratiæ præ-

rogativa divinæ, ut eos nec humilitas pusillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes.

(S. Bernardus, *Sermo in Dominica infra octavam Assumpt.*)

XVI

VALLIS HUMILITATIS

Quam amœna est, o Domina, o Mater, o Virgo, humilitatis tuæ vallis, divinitatis gratia irrigata !

Quam laudabile virginitatis tuæ lilium in humilitatis valle procreatum !

Vallis tua, Domina, Paradisi floribus dealbata ; deliciis plena est et amœnitate.

Quam emiserunt illius flores ascendens fragrantia æthera penetravit.

Quasi soli obvians, ejus inter radios transcendit, firmamentique altitudinem excessit.

Sidereas regiones suavitate replevit, et celsum petens divinæ Majestatis palatium,

Cæli Dominum delectavit, omnemque cælorum militiam. Domino placuit agelli tui fructus.

Propterea illum muro conclusit in gyrum, et sibi soli servavit illius aditum.

Sicut in vellus pluvia, sic in eam Dominus descendit ; unde merito benedicta diceris in omnibus gentibus.

Beatam merito te dicunt omnes generationes ; in te perficiuntur quæ longe ante prophetæ prædicaverunt.

(P. Ragey, S. M. *Virginale gloriosæ Genitricis Mariæ*, Gaume éditeur, Rondelet successeur.)

XVII

MARIA NEC PRIMAM SIMILEM VISA EST NEC HABERE SEQUENTEM

Non est equidem quod me magis delectet, nec quod terreat magis quam de gloria Virginis Mariæ habere sermonem.

Ecce enim si in ea laudavero virginitatem, multæ mihi virgines post eam videntur offerri. Si humilitatem prædicavero, invenientur forte vel pauci qui, docente ejus Filio, mites facti sunt et humiles corde. Si ejus misericordiæ multitudinem magnificare voluero, sunt aliqui misericordiæ viri etiam et mulieres.

Unum est in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore. Mariæ privilegium est, non dabitur alteri ; singulare est, sed continuo etiam indicibile invenitur, ut nemo assequi possit, sic nec eloqui quidem.

Quid, si adjicias cujus Mater ? Quæ jam poterit lingua etiam angelica dignis extollere laudibus Virginem Matrem ! Matrem autem non cujuslibet, sed Dei ! Duplex novitas, duplex miraculum ; sed digne prorsus aptissimeque conveniens.

Neque enim filius alius Virginem, nec Deum decuit partus alter !

(S. Bernardus, *Sermo IV de Assumptione B. Virginis*).

XVIII

QUOMODO MARIA MAGNIFICAVIT DOMINUM

Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. (Luc., I, 46-56.)

Duæ res, anima scilicet et corpus, duplici laude funguntur : anima Dominum prædicat, spiritus Deum. Non quod alia laus Domini, alia Dei sit ; sed quia qui Deus est, idem et Dominus est, et qui Dominus est idem et Deus sit, quæritur quomodo magnificat Dominum. Si enim Dominus nec augmentum nec detrimentum accipere potest, et quod est est, qua ratione nunc Maria loquitur : *Magnificat anima mea Dominum?*

Si considerem Dominum Salvatorem imaginem esse invisibilis Dei, et videam animam meam factam ad imaginem conditoris, ut imago esset imaginis, (neque enim anima mea specialiter imago est Dei, sed ad similitudinem imaginis prioris effecta est) tunc videbo quoniam in eorum exemplum qui solent imagines pingere, et, uno vultu regis accepto, ad principalem similitudinem exprimendam, artis industriam commendare, unusquisque nostrum ad imaginem Christi formans animam suam, aut majorem ei aut minorem ponit imaginem, vel obsoletam, vel sordidam, aut claram atque lucentem et splendentem ad imaginis principalis effigiem.

Quando igitur grandem fecero imaginem imaginis, id est, animam meam, et magnificavero eam opere, cogitatione, sermone, tunc imago Dei grandis efficitur, et ipse Dominus, cujus imago est in nostra anima, magnificatur. Et quomodo crescit Dominus in nostra imagine, sic, si peccatores fuerimus, minuitur atque decrescit.

Sed nos, pro imagine salvatoris, sæpe nobis alias imagines induimus. Pro imagine Verbi, sapientiæ, justitiæ, ceterarumque virtutum, diaboli formam assumimus, ut dicatur de nobis : serpentes, generatio viperarum.

(S. Hieronymus, *Translatio homiliarum Origenis.*)

XIX

FECIT MIHI MAGNA QUI POTENS EST

Sicut Deus, sua potentia, parando cuncta, Pater est et Deus omnium, ita Beata Dei Genitrix Maria, suis meritis cuncta reparando, Mater est et Domina rerum. Deus enim est Dominus omnium, singula in sua natura propria jussione constituendo, et Maria est Domina rerum, singula congenitæ dignitati per illam quam meruit gratiam restituendo.

Et quemadmodum Deus, ex sua substantia, eum genuit per quem cunctis originem dedit, ita Beata Virgo Maria, de sua carne mundissima, illum peperit qui decorem primæ creationis cunctis restituit. Item, sicut nulla rerum species nisi per Dei Filium facta subsistit, ita lex debitæ damnationis neminem deserit, nisi quem ab ea Filius Beatæ Mariæ Virginis absolvit.

Quis igitur ista recto sensu et corde sincero perpendens, plene percipere queat excellentiam hujus Virginis, per quam tam inæstimabilia bona habet rerum natura, per quam tam inæstimabili gratia, a tam inæstimabili defectione mundus erectus est. Quis tam miram et tam inauditam hujus beatissimæ mulieris gratiam oculo mentis aspiciens, non obstupescat, et non modo elinguis, verum etiam a tantæ rei comprehensione prorsus immunis fiat.

(S. Anselmus, *De excellentia Virginis Mariæ*, caput X.)

XX

RESPEXIT HUMILITATEM ANCILLÆ SUÆ

Per violam humilitas exprimitur. Quare autem flos violaceus humilitatem significet, statura, situs, odor, color et vis ipsius manifestant. Statura enim modica, situs est terræ proximus, odor suavis et salubris, color, primo aspectu, abjectus quidem, illis præcipue qui flosculi virtutem ignorant, agnoscentibus autem fit ipsa despectio commendabilis et dilecta.

Bonus profecto flos humilitatis fuit quæ viola florem cælestem, Verbum æterni Patris, in uterum terreni floris Beatæ Virginis, mirifica sui odoris dulcedine attraxit, ut ipsa testatur : « Exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ. » — Quid dicis, Maria ? Numquid non alios flores habes ?—Habeo, inquam; tota enim floreo, nullius floris expers, quia nulla virtute careo, cum tota sim speciosa et macula non sit in me. Habeo lilium castitatis utpote quæ, prima, votum conservandæ castitatis Domino vovi. Habeo rosam caritatis quæ me coegit ut votum istud voverem antea ignotum. Habeo et alios quoscumque flores, sed ex his nullum tanta prærogativa respexit in me Dominus ut violæ meæ florem ; respexit enim humilitatem ancillæ suæ.

Virgo virginum prima summam gloriam in humilitatis viola ponit, licet in ea lilium castitatis singulariter candeat, rosaque caritatis rubescat. Si vultis et vos, oculo misericordiæ, oculo gratiæ a Domino respici, humiles estote.

(S. Bernardus, *Vitis mystica*, cap. XVII, passim.)

XXI

MARIA EVA NOVA

Missus est Angelus Gabriel ad Virginem.

Missus est a Deo ad Virginem, id est, a celso ad humilem, a Domino ad ancillam, a Creatore ad creaturam. Quanta dignatio Dei, quanta virginitatis excellentia !

Lætare, pater Adam, sed magis tu, o Eva mater, exulta, qui sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores ; et quod infelicius, prius peremptores quam parentes.

Ambo tamen nunc consolamini super filia et tali filia : sed illa magis de qua malum ortum prius, cujus opprobrium in omnes transiit mulieres. Instat namque tempus quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir quid causetur adversus feminam, qui utique, dum se imprudenter excusare conaretur, crudeliter illam accusare non cunctatus est, dicens : « Mulier quam dedisti mihi sociam mihi dedit de ligno, et comedi. »

Propterea, curre, Eva, ad Mariam, curre, mater, ad filiam ; filia pro matre spondeat, ipsa matris opprobrium auferat, ipsa patri pro matre satisfaciat ; quia ecce si vir cecidit per feminam, jam non erigitur nisi per feminam.

Quid dicebas ? o Adam : « Mulier quam dedisti mihi sociam mihi dedit de ligno, et comedi. » Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas quam deleas culpam. Verumtamen sapientia vicit malitiam, cum occasionem veniæ quam a te Deus interrogando elicere tentavit sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ

pietatis invenit. Redditur nempe femina pro femina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, et pro venenoso cibo amaritudinis dulcedinem pariat fructus æterni.

Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum, et dic : « Domine, mulier quam dedisti mihi, mihi dedit de ligno vitæ et comedi, et dulce factum est ori meo, quia in ipso vivificasti me. » — Ecce enim ad hoc missus est Angelus ad Virginem.

(S. BERNARDUS, *Homilia II super* Missus est.)

XXII

AURORÆ COMPARATUR BEATA VIRGO MARIA

Solem ambæ pariunt Aurora et Virgo ; sed ista
Solem viva parit, dum parit illa perit.

O lampas luculenta ! quam multos lætificasti, quando Dei splendore illustrata, desideratum illud lumen sedentibus in tenebris et umbra mortis protulisti. Te nimirum ille divini Cantici præcentor a longe intuitus est, cum in admirationis voce ita prorupit : « Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens ? »

Sicut aurora valde rutilans in mundo progressa es, o Maria, quando veri Solis splendorem tanto sanctitatis jubare præcucurristi, ut vere dies salutis, dies propitiationis, dies quam fecit Dominus, tua claritate digne fuerit initiata. Felix aurora felicis diei nuntia exstitisti ! sed talem diem nonne talis decebat aurora !

Et recte quidem auroræ officium implesti. Ipse enim Sol justitiæ de te processurus, ortum suum matutina quadam irradiatione præveniens, in te suæ lucis radios

copiose transfudit, quibus inductas ab Eva potestates in fugam convertisti, atque ita cunctis gentibus desideratum solem mundo invexisti.

XXIII

MARIA MONS SUBLIMIS ET FRUGIFER

Fuit vir quidam de monte Ephraïm (JUDIC., XVII, 1.)

Potest hujus montis nomine Beatissima Virgo Dei Genitrix designari: mons quippe fuit quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit. Annon mons sublimis Maria? quæ, ut ad æterni Verbi conceptionem pertingeret, meritorum verticem, supra omnes angelorum choros, usque ad Deitatis solium erexit.

Hujus montis præclarissimam dignitatem Isaias vaticinans ait: « Erit in novissimis diebus, præparatus mons domus Domini, in vertice montium. » — Mons quippe in vertice montium fuit Maria, cujus altitudo supra omnes sanctos refulsit. At, sicut mons altitudinem, ita domus designat habitationem. Mons et domus apte dicitur benedicta Virgo, quæ dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei unigenito, in quo recumberet sacrum præparavit uterum. Etenim, nec mons in vertice montium esset, nisi illam, supra angelorum altitudinem, divina fecunditas levaret, nec domus Domini fieret, nisi in ejus utero, per assumptam humanitatem, Verbi divinitas jaceret.

Sed recte mons Ephraïm dicitur, seu frugifer, de qua optimus fructus, id est, novus homo generatur, et quam certe, in fecunditatis suæ gloria, pulchram ornatamque

propheta respiciens : « Egredietur, ait, virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. »

(S. GREGORIUS MAGNUS, *Comment. in libro I Regum.*)

XXIV

VIOLÆ COMPARATUR VIRGO MARIA

Quæcumque in scripturis et in creaturis amabilia inveneris aut suavia, quæcumque pulchra et redolentia, quæcumque pretiosa vel laudabilia, Mariæ laudibus sunt convenientia.

Prætermissis aliis omnibus, de viola dicamus, ut qualiter Beatam Virginem significet ostendamus.

Habet viola purpureum colorem, et purpura regalem indicat dignitatem.—Maria autem vere purpurata utpote quæ supra omnes sanctos regali affulsit dignitate, atque præ omnibus regaliter egit, vitia deprimens virtutesque erigens.

Habet etiam viola odoris suavitatem, per quam bonam designat opinionem. — Habuit vero Maria non solum intus sanctitatem in conscientia, sed etiam sanctitatis opinionem et famam. Novit enim, ut ait apostolus, quod « justi bonus odor in omni loco ». Ideo viola exstitit adeo odorifera, ut non tantum homines resperserit, sed et angelos in sui admirationem converterit.

Omnis denique viola naturaliter caput ad ima deflectit, quasi in humilitatis exemplum. — Quæ quidem virtus in Virgine quin excellenter fuerit quis dubitet ? Cum enim ab angelo Mater Dei simulque mundi Domina et cæli Regina pronuntiaretur, quis nescit illius humile responsum : « Ecce ancilla Domini. » Et in hoc, quam

vere viola fuit, quam vere caput ad ima deflectit! dum, in quo major exstitit, semetipsam amplius humiliavit, eligens non alta de se sapere, sed humilibus consentire. Habebat enim jam tunc scriptum in corde: « Omnis qui se humiliat exaltabitur et qui se exaltat humiliabitur. »

Et nos violæ simus Beatam Virginem imitando. Illi pro viribus conformemur in sanctitate, ut consortes fieri mereamur in beatitudine.

(HUGO A SANCTO VICTORE, *Sermo XLVI in Assumpt. B. Virginis.*)

XXV

MARIA ARCÆ COMPARATA

In testamento vetere, duas legimus fuisse arcas, unam scilicet diluvii et alteram fœderis.

Diluvii arca, ait sanctus Bernardus, arcam gratiæ significavit, nempe Mariæ excellentiam.

Sicut enim per illam evaserunt Noe ejusque familia diluvium, sic nos per istam peccati naufragium.

Illam Noe ut diluvium evaderet fabricavit, istam Christus ut humanum genus redimeret sibi præparavit.

Per illam octo animæ tantum salvantur, per istam omnes ad æternam vitam vocantur.

Illa de lignis levigatis facta est, ista de virtutibus ædificata consummatis.

Illa superferebatur aquis diluvii, illa nullius vitii sensit naufragia.

Ita divus Bernardus de arca diluvii; hæc audi sancti Ambrosii de arca fœderis :

Arcam quid nisi beatam Mariam dixerimus?

Siquidem intrinsecus arca portabat testamenti tabulas; Maria autem ipsius testamenti heredem.

Illa intra semet legem, hæc Evangelium retinebat.

Illa Dei vocem habebat, hæc Verbum.

Veruntamen arca intus forisque auri nitore radiabat, sed et sancta Maria intus forisque virginitatis splendore fulgebat.

Illa terreno ornabatur auro, ista cælesti.

In illa manna, Christum significans; ista Christum ipsum, panem cælestem ac vivum, nobis genuit et præbuit manducandum.

XXVI

DE QUIBUSDAM MARIÆ SYMBOLIS

Maria beatus et apricus ille *Paradisus*, qui neque aratro scissus neque rastro vexatus, omnigenas delicias et medicamenta progerminat, qui hanc imprimis protulit vitæ arborem, cujus salutaris fructus ligni quondam improbe gustati venena sustulit.

Maria *Columba* est cælestis, felix nuntia finis diluvii animas in infernum deglutientis, quæ, sicut Noe columba, ad vesperam venit ad nos Jesum portans, verum olivæ ramum, virentibus gratia et pace foliis.

Maria *Rubus ardens* et incombustus, de quo medio Jehovah hominibus locutus est; rubus in flammis semper virens et floridus, in signum Mariæ Virginitatis immaculatæ. Unde et hæc vox Ecclesiæ : *Rubum quem viderat Moyses incombustum conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem.*

Maria *Vellus Gedeonis*. « Quid, ait divus Bernardus, quid illud vellus Gedeonis significat (quod utique de carne tonsum sed sine carnis vulnere, in area ponitur,

et nunc quidem lana, nunc vero area rore perfunditur) nisi carnem de carne Virginis assumptam, absque detrimento virginitatis. Cui utique, distillantibus cælis, tota se divinitatis plenitudo infundit, adeo ut ex hac plenitudine omnes acceperimus, qui sine illa nihil aliud quam terra arida sumus. »

Maria nobilis illa *Domus* quam ipse sibi Dei Filius, Patris sapientia ædificavit, septem columnis, ut in ejus penetralibus versaretur qui nonnisi in altissimis habitat: Domus aurea, tota cælestibus referta divitiis ; gazophylacium gratiæ ex quo bonis omnibus adimplemur.

Maria *Nubecula* illa Carmeli, quæ ascendebat de mare, id est, de profundo et arcano Dei mysterio, paulatimque cælo obducta, in gratiæ pluviam tam grandem est dilapsa, ut omnem terræ superficiem consperserit, animasque sitientes et vitiis aut concupiscentiis exustas recrearit.

(ABBÉ PILLOT, *Marie dans ses figures, ses symboles....*, p. 43.)

XXVII

AD SACRAM ÆDEM LAURETANAM

Hæccine sancta domus ? Mariæ domus ? alma Genitrix
Hic genita est, genitura Deum ? demissus ab æthra
Nuntius huc Gabriel, inopes intrare penates
Jussus, ab æterno portavit Patre salutem ?
Huccine, quod nullis est enarrabile verbis,
Atque omnem superat mentem, Deus æthere ab alto
Labitur, exiguaque volens includitur alvo
Parvulus, immensum digito qui librat Olympum !
... Hæc calcata Deo vestigia : lusit Jesus
Æde sub hac infans. Hic blandulus oscula Matri
Natus, et hic nato blanda obtulit oscula Mater.

Hic fessum cunæ aut gremium fovere Parentis,
Molliter hærentem, fusis ad colla lacertis,
Jucundumque bibit, cantu fallente, soporem.
. . . O dilecta Deo sedes et culta Tonanti
Regia, supra orbem felix, cæli æmula : qua nec
Altera stellifero magis est veneranda sub axe,
Nec metuenda magis...
. . . . Judææ a finibus illam
Barbaricis infensam armis, sublime per auras
Siderei vexere chori : longoque recursu,
Fortunate, tua, Picens, in sede locarunt.
Tunc venerabundas, curvato tergore, plantas
Sponte sua flexisse caput, Dominæque potenti
Assurrexe ferunt, Zephyri cælestibus auris
Jugiter optarunt et dulce per aera pondus
Sustentare, avidis instantes oscula labris.
Quin etiam, supplex palmas ad sidera Titan
Sustulit Adriacus, volucrem dum prospicit ædem
Nocturnis radiare undis, et finibus alte
Impendere suis, Venetamque invitat ad urbem.
Sed fugit illustrem patriam, fastusque superbos
Excelsi Regina poli, moremque modumque
Antiquum retinens, humili se sistit in ora.
Nec statio diuturna tamen : (mirabile dictu,
Horrendum visu!) gentes exosa nefandas
Casta domus, cædem, luxus et turpia fratrum
Jurgia, furtivo per proxima rura volatu,
Ter, quater avecta est : certoque in littore tandem
Vix stetit...

(Ex *carminibus illustrium poetarum italorum.*)

MATER DOLOROSA

MATER DOLOROSA

I

PRÆNUNTIATUM SACRIFICIUM

Stupete gentes ! fit Deus hostia.
Se sponte legi legifer obligat !
Orbis Redemptor, nunc redemptus
Seque piat sine labe Mater.

De more matrum Virgo puerpera
Templo statutos abstinuit dies !
Intrare sanctum quid pavebas
Facta Dei prius ipsa templum ?

Ara sub una se vovet hostia
Triplex. Honorem virgineum immolat
Virgo sacerdos; parva mollis
Membra puer, seniorque vitam.

Heu ! quot enses transadigent tuum
Pectus ! quot altis nata doloribus
O Virgo ! quem gestas cruentam
Imbuet hic sacer agnus aram.

Christus futuro, corpus adhuc tener,
Præludit insons victima funeri.
Crescet ; perfuso vir cruore
Omne scelus moriens piabit.

(SANTEUIL.)

II

SACRIFICIUM ACCEPTATUM

(Maria in die Præsentationis.)

Salutem mundi procuro, mundi procurationem exerceo, officium meum impleo. Novi quid egeat mundus, quare Jesum contulerit mihi Deus. Pro mundi salute mihi donavit : quia *sic Deus mundum dilexit, ut filium suum unigenitum daret.*

Dono igitur eum etiam ego, et caritate eviscerata, quia ad hoc illum accepi ; caritate festina, quia prius non potui ; caritate integra, quia nihil mihi retinui ; caritate materna, quia nulli invidi ; caritate consummata, quia plus donare non valui. Illum dono in illuminationis donum, in conversationis exemplum, in glorificationis præmium.

Novi quid donem ; novi pro quibus donem : pro dilectis meis filiis illum offero, pro illis redimendis, pro illis expiandis, pro illis informandis, instruendis, reficiendis, gratificandis atque glorificandis.

Illum repono quia verus est Agnus qui tollit peccata mundi. Hunc sola dives offero, quia sola agnum habeo

quem perfecta cum virginitate Dominum et hominem parturivi.

Scio ergo quid donem filiis gratiæ qui hujus doni esse participes volunt. Et non solum Filium meum, sed meipsam super hoc donum dono, atque ipsorum advocatam, genitricem, tutricem, necnon thesaurorum Fili dispensatricem inviolabili caritate repromitto.

(S. Bernardinus Siennensis, *Sermo in die Præsentationis.*)

III

VENIT HORA JESU

Ecce filius tuus... Ecce mater tua ! (Joan., XIX, 26-27.)

Hæc est illa hora de qua Jesus aquam conversurus in vinum dixerat Matri : « Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea. » (Joan., II, 4.)

Hanc itaque horam prædixerat, quæ tunc nondum venerat, in qua deberet agnoscere moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc enim divina facturus, non divinitatis sed infirmitatis Matrem velut incognitam repellebat : nunc autem humana jam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano.

Moralis igitur insinuatur locus. Facit quod faciendum admonet, et exemplo suos ministros instruit præceptor bonus, ut a filiis impendatur cura parentibus ; tanquam si lignum illud, ubi fixa erant membra morientis, etiam cathedra fuerit Magistri docentis.

Ex hac doctrina didicerat Paulus apostolus quod docebat : « Si quis autem suis et maxime domesticis non providet, fidem negavit et est infideli deterior. » Quid vero tam cuique domesticum quam parentes filiis, aut parentibus filii?

Hujus itaque saluberrimi præcepti ipse magister sanctorum de seipso constituebat exemplum, quando non ut famulæ Deus quam creaverat et regebat, sed ut Matri Homo, de qua creatus fuerat et quam relinquebat, alterum pro se quodammodo filium providebat.

(S. Augustinus, *Tract. in Joannem.*)

IV

CHRISTI JESU CRUCIFIXI TESTAMENTUM

Maria Mater Domini ante filii crucem stabat... Nemo me hoc docuit nisi sanctus Joannes evangelista. Mundum alii concussum in passione Domini conscripserunt, cælum tenebris obductum, refugisse solem, in paradisum latronem post piam confessionem receptum. Joannes docuit quod alii non docuerunt, quemadmodum in cruce positus Matrem appellaverit ; plus putans quod victor suppliciorum pietatis officia Matri exhibebat, quam quod regnum cæleste donabat. Nam si religiosum est quod latroni donatur venia, multo uberioris pietatis est quod a Filio Mater tanto affectu honoratur.

Ecce, inquit, Filius tuus... Ecce Mater tua! (Joan., XIX, 26, 27.) Testabatur de cruce Christus, et inter Matrem et Discipulum dividebat pietatis officia. Condebat dominus non solum publicum, sed etiam domesticum testamentum, et hoc ejus testamentum signa-

bat Joannes, dignus tanto testatore testis. Beatum testamentum! non pecuniæ sed vitæ æternæ, quod non atramento scriptum est, sed Spiritu Dei vivi qui ait : *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.*

Sed nec Maria minor quam Matrem Christi decebat. Fugientibus apostolis, ante crucem stabat, et piis oculis Filii vulnera spectabat. Aut fortasse, quia cognoverat, per Filii mortem, mundi redemptionem, aula regalis etiam sua morte putabat se aliquid publico addituram muneri...

Habemus hic pietatis magisterium. Docet lectio quod maternus debeat affectus imitari, quod sequi reverentia filiorum : ut illæ se offerant in filiorum periculis, et illis amplius sollicitudo materna quam suæ mortis mæstitia sit dolori.

(S. AMBROSIUS, *Epist. LXIII.*)

V

REGINA MARTYRUM

Martyrium Mariæ Virginis tam in Simeonis prophetia, quam in ipsa Dominicæ Passionis historia commendatur. « Positus est hic, ait sanctus senex de puero Jesu, in signum cui contradicetur, et tuam ipsius animam (ad Mariam dicebat) pertransibit gladius. » (Luc., II, 34.)

Vere tuam animam, o beata Maria, gladius pertransiit. Alioquin nonnisi eam pertransiens, carnem filii tui penetraret. Et quidem, postquam emisit spiritum tuus ille Jesus, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea quæ latus aperuit, sed tuam utique animam per-

transiit. Ipsius nimirum anima jam non erat ibi, sed tua inde nequibat avelli. Tuam ergo pertransiit animam vis doloris, ut plus quam martyrem te non immerito prædicemus, in qua corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus.

Annon tibi plus quam gladius fuit sermo ille, revera pertransiens animam et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus : « Mulier, ecce filius tuus ! » O commutationem ! Joannes tibi pro Jesu traditur, servus pro domino, discipulus pro magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando et nostra, licet saxea, licet ferrea pectora, sola recordatio scindit ?

Non mireris quod Maria martyr in anima fuisse dicatur. Miretur qui non meminerit se audisse Paulum, inter maxima gentium crimina, memorantem quod sine affectione fuissent. Longe id fuit a Mariæ visceribus, longe id sit etiam a servulis.

Sed forte quis dicat : Numquid non eum præscierat moriturum ? Et indubitanter. Numquid non sperabat resurrecturum ? Et fideliter. Super hæc doluit crucifixum ? Et vehementer. Alioquin, quisnam tu, frater, aut inde tibi hæc sapientia, ut mireris plus Mariam compatientem, quam Mariæ Filium patientem ? Ille etiam mori potuit, ista commori corde non potuit ! Fecit illud caritas qua majorem nemo habuit ; fecit et hoc caritas cui post illam similis altera non fuit.

(S. Bernardus, *Sermo de duodecim stellis*).

VI

AD BEATAM VIRGINEM

Filio jam in cruce mortuo.

Occidit : in pectus cervix inflexa recumbit !
Occidit : exanimum de cruce pendet onus!

Quæ mens, quis tibi nunc, Mater mæstissima, sensus ?
Mors pariter vitam non rapit ista tuam?

Ah ! plus quam vitam rapuit, cum sustulit illum,
Qui tibi spes omnis vitaque solus erat.

Ferreus heu ! certeque nimis crudeliter hostis
Luctibus his causam qui tibi cumque dedit (1).

Quid loquor ! ille ego sum, nil quærimus ultra,
Me peragis vultu, Virgo, silente reum.

Quas merui Deus ipse suo dat sanguine pœnas,
Quem læsi pro me sustinet esse reum.

Quam plectar merito flammisque perennibus urar,
Si mea non tangat pectora tantus amor.

(SIDRONIUS HOSSCHIUS, S.J., *Elegia in Christo moriente.*)

VII

AD BEATAM VIRGINEM

Filii corpus gremio sustinentem.

Tene ego, nec movear, videam, mæstissima matrum
Complexam nati membra cruenta tui ?

(1) *Qui tibi cumque dedit = quicumque tibi dedit.*

Deque tuis oculis illius in ora cadentes
Aspiciam lacrimas, contineamque meas?

Ecce suo tecum rerum natura parenti
Ingemit, et quo tu funere læsa dolet.

Sol tam funestæ ne spectet crimina cædis,
Avertit vultus, oraque mæsta tegit.

Sub pedibus mugit tellus : convulsa dehiscunt
Marmora : lugubris fertur ad astra fragor.

Unus ego immotus funus tam flebile possim,
Et tua non madidis ora videre genis?

Non rigor hic meus est, tua me, tua flentis imago
Sauciat : utque facit sauciet usque precor.

Qui sum causa tui, sim pars quoque, Diva, doloris,
Et minuam luctus hac ego parte tuos.

Me meminisse decet, cum sub cruce pallida stares,
Quæ fuerint Nati verba suprema tui.

Ille mihi moriens : « Serva communis amorem
Matris, ait : tibi jam quæ mihi Mater erit. »

Hinc crevit, crescatque precor, qui tempore ab illo
Me tenet et totum se tibi debet amor.

Omnia quæ pateris mihi sint communia tecum ;
Ni fuerint, nati nomen inane gero.

(Sidronius Hosschius, S.J.)

VIII

CALVARII ROSÆ

Captus, post plurimas illusiones tam Judæorum quam Gentium, post sanguinis plures effusiones, clavis immitibus manibus simul et pedibus perforatur, lignoque crucis configitur Salvator noster mitissimus Jesus.

Intuere et respice *Rosam* Passionis sanguineæ, quomodo rubet in indicium ardentissimæ caritatis. Contendunt passio et caritas : ista ut plus ardeat, illa ut plus rubeat.

Vide quomodo hoc flore rosæ floruit optima vitis nostra rubicundus Jesus, filius *mysticæ Rosæ*. Vide totum corpus sicubi sanguineæ rosæ florem non invenias. Inspice manum unam et alteram, si rosæ florem in utraque non invenias. Inspice pedem unum et alterum, numquid non rosei ? Inspice lateris aperturam, quia nec illa caret rosa, quamvis subrubea sit, propter mixturam aquæ : cum enim unus militum lancea latus ejus perforasset, exivit sanguis et aqua.

Respice, Domine, sancte Pater, de sanctuario tuo, de excelso cælorum habitaculo, et intuere hanc sacrosanctam hostiam quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus puer tuus Dominus Jesus, pro peccatis fratrum suorum, et esto placabilis super multitudinem malitiæ nostræ. — Cognosce, Pater, tunicam filii tui Joseph. Heu ! fera pessima (1) devoravit eum, et in furore suo ejus vestimentum (2) conculcavit ! Ecce quas in eo reliquit scissuras quinque lamentabiles !

(S. Bernardus, *ex Breviario, in Festo V vulnerum.*)

(1) *Fera pessima*, i. e. peccatum.

(2) *Vestimentum*, i. e. humanitas Domini, quæ Passionis vulnera retinet.

IX

VIRGO ET CRUX

Ave Virgo, salve lignum,
Laude digna, laude dignum,
Salutis principia.
Virgo porta veræ lucis,
Per te, perque lignum crucis
Datur reis venia.
Virgo dedit alimentum
Christo, cui crux tormentum,
Et utrumque profuit.
Sic, per Matrem et per crucem,
Vicit Christus hostem trucem,
Et cælos aperuit.
Virgo Mater Christi pura,
Crux noverca nimis dura
Matris nescit ubera ;
Christo dedit lac puella,
Crux acetum, fel, flagella :
Tremunt Matris viscera.
Matri fuit crux dolori,
Quando vidit suum mori
Crucis ara Filium ;
Nunc impletur prophetia
Simeonis in Maria :
Christi sensit gladium.
Nisi, Virgo, peperisset,
Certe tantum crux fuisset
Damnatis supplicium.
Per te, Virgo, crux laudatur,
Honoratur, adoratur,
Habes privilegium.

Ergo Matrem, ergo lignum
Veneremur per benignum
Dei Patris Filium.

Ut per Matrem et per Crucem
Habeamus Christum ducem
Ad æternum gaudium.

P. Ragey, *Hymnarium quotidianum*, Lethielleux, éd.)

X

STABAT MATER DOLOROSA !

Stabat Mater dolorosa
Juxta crucem lacrimosa
Dum pendebat Filius.

Cujus animam gementem,
Contristatam et dolentem,
Pertransivit gladius.

O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti !

Quæ mærebat et dolebat
Pia Mater, dum videbat
Nati pænas incliti.

Quis est homo qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio.

Quis non posset contristari,
Matrem Christi contemplari
Dolentem cum Filio.

Pro peccatis suæ gentis,
Vidit Jesum in tormentis
Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem Natum
Morientem, desolatum
Dum emisit spiritum.

Eia, Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris,
Fac ut tecum lugeam.

Fac ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum
Ut sibi complaceam.

Sancta Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.

Tui Nati vulnerati
Tam dignati pro me pati
Pænas mecum divide.

Fac me tecum pie flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.

Juxta crucem tecum stare
Et me tibi sociare
In planctu desidero.

Virgo, virginum præclara,
Mihi jam non sis amara :
Fac me tecum plangere.

Fac ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari,
Fac me cruce inebriari
Et cruore Filii.

Flammis ne urar succensus
Per te, Virgo, sim defensus
In die judicii.

Christe, cum sit hinc exire
Da per Matrem me venire
Ad palmam victoriæ.

Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur
Paradisi gloria. Amen.

REGINA ET MATER

REGINA ET MATER

I

LAUS DEI GENITRICIS

Ave, sidus, lux dierum,
Ave, gemma mulierum,
Quæ lactasti Regem verum,
Genitorem filia.

Ave, Verbi summi Parens,
Ave, rosa spinis carens,
Per te viret mundus arens,
Per te datur venia.

Ave, Verbi Dei cella,
Cæli decus, maris stella,
Serva servos a procella
Maris hujus noxia.

Mundum pingis novo flore,
Florem paris novo more,
Virgo manens cum pudore,
Novi floris gratia.

Regis Mater et Regina,
Morum dux et disciplina,
De malorum nos sentina
Perduc ad cælestia.

Dele culpas, o Maria,
Placa Regem prece pia,
Quia per te patet via
Ad æterna gaudia.

(P. Ragey, *Hymnarium quotidianum*, Lethielleux, éd.)

II

DEI MUNIFICENTIA ERGA MARIAM

Unus bonorum fons, Deus omnium,
Quam liberali fundis opes manu !
Non ante concessis Mariam
Quot properas cumulare donis !

Inter rigentes ceu rosa clauditur
Spinas, et acres vincit aculeos,
Præsens amaram virulenti
Gratia vim fruticis retundit.

Quantum pudicas inclita virgines
Præstat, remoto quæ Dominam gradu
Sequuntur, et Regis Parentem
Siderea comitantur aula!

Nec angelorum par decus ; hi Deo
Adstant sedenti, fert hominem Deum
Maria, nomen dulce Matris
Virgineo socians honori.

Regina mundi, Virgo clientium
Tutela, mæstis perfugium reis,
Fer nostra Nato vota : tristem
Non patitur genitrix repulsam.

Sit Trinitati perpetuum decus,
Inflicta mundo quæ miserans mala,
In Matre pignus nasciturі
Non dubium dat habere Christi.

(Coffin, *Hymne de l'Immaculée-Conception.*)

III

QUOD NOBIS MAGIS ARRIDET IN MARIA

Virgo, decus cæli, Virgo sanctissima, Virgo,
Quæ super angelicos es veneranda choros,

Tu niveas formosa rosas, tu candida vincis
Lilia ; tu vultu vincis et astra tuo.

Pura, columbellæ similis quam lactea vestit
Penna, nec in toto corpore menda sedet.

Tu Mater dilecta Dei, tu sponsa vocaris,
Præcipua vero virginitate places,

Quæ licet edideris, dictu mirabile, Christum,
Attamen ut fueras intemerata manes.

Per te nostra caro (meritis ita femina fulges)
Est immortali conciliata Deo.

Tu sacrum templum, tu fons uberrimus ille
Cujus inexpletam detrahit unda sitim.

Ast peccatorum cum sis, pia Virgo, patrona,
Dulcius hoc nomen pectora nostra movet.

(Tiphernus.)

IV

MARIA STELLA MARIS

Sævit mare, fremunt venti,
Fluctus surgunt turbulenti,
Navis currit, sed currenti
Tot occurrunt obvia.

Hinc sirenæ voluptatis
Draco, canes cum piratis,
Mortem pæne desperatis,
  Hæc intentant omnia.

Post abyssos, nunc ad cælum
Furens unda fert phasellum,
Nutat malus, fluit velum,
  Nautæ cessat opera.

Contabescit in his malis
Homo noster animalis,
Tu nos, Mater spiritalis,
  Pereuntes libera.

Jesu, sacri ventris fructus,
Nobis inter mundi fluctus,
Sis via, dux et conductus
  Liber ad sidera.

Tene clavum, rege navem,
Tu procellam sedans gravem,
Portum nobis des suavem,
  Pro tua potentia,

Nobis, Virgo, sit misertus,
Ex te natus, nobis datus
Qui Deus regnat beatus
  Per immensa sæcula.

(HUGO A SANCTO VICTORE, *Sermo in nativ. Mariæ.*)

V

HUMANI GENERIS CLAMOR AD MARIAM

Virgo Dei Genitrix, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, subveni clamantibus ad te.

Tu benedicta et superbenedicta, *subveni per naturam*.

Numquid ita deificata, nostræ humanitatis oblita es? Nequaquam, Domina. Scis enim in quo discrimine nos relinqueris, ubi jaceant servi tui, quantum delinquant. Tantæ misericordiæ tantam non convenit oblivisci miseriam; si te subtrahit gloria, revocat natura. Non enim ita memoraris justitiæ Dei solius, ut misericordiam non habeas, neque ita es impassibilis ut non compatiaris. Naturam nostram habes, non aliam, de tantæ pietatis rore justum est ut diffusius infundamur.

Subveni per potentiam.

Fecit in te magna qui potens est, et tibi data est omnis potestas in cælo et in terra. Nil impossibile cui possibile desperatos in spem beatitudinis relevare. Quomodo enim tuæ potentiæ obviare poterit illa potestas quæ de carne tua suscepit originem? Ante illud aureum humanæ reconciliationis altare tu accedis non rogans, sed imperans, domina, non ancilla. Moveat te natura, potentia moneat quod quanto potentior, tanto misericordior esse debeas.

Subveni per amorem.

Scio, Domina benignissima, te nos amare amore invincibili, quos in te et per te Filius tuus et Deus tuus summa dilectione dilexit. Quis scit quoties judicis iram refrigeras, cum justitiæ virtus a Deitatis præsentia egreditur?

—*Subveni tandem per singularitatem.*

In tuis manibus thesauri miserationum Domini et sola tu es electa cui gratia tanta concedatur. Absit ut cesset manus tua, cum occasionem quæras miseros salvandi! Neque enim minuitur tua gloria sed augetur, cum pænitentes ad veniam, justificati ad gloriam assumuntur.

Subveni ergo et revertere ut intueamur te : summa

enim est gloria post Deum te videre, tibi adhærere, et in tuæ protectionis munimine commorari.

(S. PETRUS DAMIANUS, *De nativ. Beatæ Virginis.*

VI

MARIÆ RECORDATIO QUAM SIT EFFICAX

Sæpe quidem vidimus et audivimus multos, suis in periculis, nominis Beatæ Mariæ Virginis esse recordatos, et illico periculi malum evasisse. Velocior enim nonnunquam salus, memorato ejus nomine, quam invocato nomine Jesu. Et quidem non ideo quod ipsa major sit aut potentior ; non enim Jesus magnus aut potens per eam, sed illa per ipsum.

Quare ergo salus promptior sæpe in recordatione Matris quam Filii? Dicam quod sentio. Filius quidem Dominus est et judex omnium, discernens singulorum merita. Dum igitur ipse a quovis, suo nomine invocatus, non statim exaudit, id justo facit judicio : invocato autem nomine Matris, etsi invocantis merita non merentur, Matris intercedunt merita ut exaudiatur. Quod quidem humanus usus quotidie probat, cum quis, proposito amici nomine, ab alio efficaciter impetrat quod sua prece numquam impetrare valuisset.

(S. ANSELMUS, *apud Ludolphum de Saxonia.*)

VII

TURRIS DAVIDICA

Maria turris fundata super firmam petram, in montibus sanctis, immobili fundamento : siquidem Deus in medio ejus, non commovebitur.—De hac Virgine in Canticis legitur : « Sicut turris David quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortium. » Vere turris David, illius, inquam, David, qui, quinque lapidibus de torrente, id est, quinque vulneribus et crucis baculo, superbum Goliath, gloriantem, in Calvario monte prostravit.

Facta est hæc turris Ecclesiæ propugnaculum et peccatorum unicum refugium, ut ad ipsam confugiant omnes rei, omnes mæsti, omnes afflicti, et, ea protegente, liberentur ab hoste.

In quacumque tribulatione, ad Mariam fuge; sive peccatis afflictus, sive persecutoribus attritus, sive tentationibus turbatus, hanc turrim petito, ad Mariam confugito. Mille enim clipei pendent ex ea, et contra omnem æstum tribulantis, et ad omnem faciem persequentis dæmonis, tutissimum in ea clipeum invenis quo te protegas.

Ibi omnis armatura fortium, ibi fides apostolorum, ibi martyrum fortitudo, ibi Virginum puritas, doctorum sapientia, anachoretarum paupertas, confessorum devotio, ibi denique sanctorum omnium virtus agglomerata reperitur. Nihil enim unquam alicui sanctorum, speciali privilegio est concessum, quod non a principio vitæ et cumulatius præfulgeat in Maria. Ecce fortissimum castellum, ecce inexpugnabilem turrim, quæ nunquam tributum aut fidem diabolo præstitit.

(S. Thomas, episcopus.)

VIII

MISERICORDIÆ MATER

Sileat misericordiam tuam, Virgo benedicta, si quis est qui invocatam te in necessitatibus, sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui, ceteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris dulcius sapit : misericordiam amplectimur carius, recordamur sæpius, crebrius invocamus. Hæc est enim quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit.

Quis ergo misericordiæ tuæ, o benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque ad novissimum diem invocantibus subvenit universis, et latitudo orbem terrarum replet, ut tua quoque misericordia omnis terra plena sit ; sic et sublimitas supernæ civitatis invenit restaurationem, et profundum sedentibus in tenebris et umbra mortis obtinuit redemptionem.

Per te enim cælum repletum, infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ cælestis Jerusalem, expectantibus miseris vita perdita data est. Sic potentissima et piissima caritas et affectu compatiendi et subveniendi abundat effectu, æque locuples in utroque. Ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra ; ad hunc misericordiæ cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat.

(S. Bernardus, *Sermo IV in Assumpt. B. Virginis.*)

IX

MARIA QUAM DULCIS ET OMNIBUS BENEFICA

Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile, tota est suavis, omnibus offerens lac et lanam. Revolve diligentius evangelicæ historiæ seriem universam, et, si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cetero suspectam habeas et accedere verearis. Quod si, ut vere sunt, plena magis pietatis et gratiæ, plena mansuetudinis et misericordiæ quæ ad eam pertinent inveneris, ei gratias age qui talem mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum.

Maria omnibus omnia facta est; sapientibus et insipientibus, copiosissima caritate debitricem se fecit. Omnibus suæ misericordiæ sinum aperuit, ut de ejus plenitudine accipiant universi, captivus redemptionem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam, Filii persona humanæ carnis substantiam, et non sit qui se asbcondat a calore ejus.

Ipsa præterita non discutit merita, sed omnibus exorabilem, omnibus clementissimam se præbet, omnium denique necessitates amplissimo miseratur affectu.

Ipsa est quondam a Deo promissa mulier serpentis antiqui caput pedis virtute contritura, et cujus calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa. Sola enim universam hæreticam pravitatem contrivit. Contriti insidiantes, conculcati supplantatores, confutati derogatores, et beatam Mariam dicunt omnes generationes.

(S. Bernardus, *Sermo de XII prærogativis B. Mariæ*).

X

MARIA MEDIATRIX AD MEDIATOREM

Vehementer quidem nobis vir unus et mulier una nocuere, sed gratias Deo, per unum nihilominus hominem et mulierem unam, omnia restaurantur, nec sine magno gratiarum fenore. Neque enim sicut delictum ita donum, sed damni æstimationem beneficii magnitudo excedit. Sic nimirum prudentissimus et clementissimus artifex quod fuerat quassatum non confregit, sed utilius omnino refecit, ut videlicet nobis novum formaret Adam ex vetere et Evam transfunderet in Mariam.

Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex eo; sed nobis bonum non erat esse hominem solum, congruumque magis ut nostræ adesset reparationi sexus uterque quorum ruinæ neuter defuisset.

Fidelis plane et præpotens mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, sed divinam in eo veremur majestatem. Absorpta videtur in deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, sed affectio deificata. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter et judicium; etsi enim didicit ex his quæ passus est compassionem ut misericors fieret, judiciariam tamen potestatem habet. — Denique Deus noster *ignis consumens est* (Deut., IV, 24). Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera a facie ignis, sic pereat ipse a facie Dei.

Jam itaque nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa. Invenietur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est mediatore apud mediatorem

istum, nec alter nobis utilior quam Maria. Crudelis nimirum mediatrix Eva, per quam antiquus serpens pestiferum etiam ipsi viro virus infudit, sed fidelis Maria quæ salutis antidotum et viris et mulieribus propinavit. Illa enim seductionis ministra, hæc propitiationis; illa prævaricationem suggessit, hæc ingessit redemptionem.

(S. BERNARDUS, *Sermo Dominicæ infra octavam Assumpt.*)

XI

MARIA NOBIS LUMEN ET AUXILIUM

Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata ? (Cant., VI, 9.)

Cum aurora finis sit noctis et diei origo, merito per auroram designatur Virgo Maria, quæ finis fuit damnationis et origo salutis, finis vitiorum et origo virtutum.

Aurora ista consurgens, pulchra dicitur ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. — Luna lucet in nocte, aurora in diluculo, sol in die : nox autem est culpa, diluculum pænitentia, dies gratia.

Qui ergo jacet in nocte culpæ respiciat lunam, deprecetur Mariam, ut ipsa, per Filium, cor ejus ad compunctionem illustret. Quis enim de nocte invocavit eam et non est exauditus? *Ipsa est Mater pulchræ dilectionis et sanctæ spei.* (Eccles., XXIV, 24.)

Qui vero ad diluculum pænitentiæ surgit, respiciat auroram, deprecetur Mariam, ut ipsa, per Filium, cor ejus ad satisfactionem illuminet. Quis enim devote invocavit eam et non est exauditus ab ea? *Ipsa enim est Mater pulchræ dilectionis et sanctæ spei.*

Quia vero militia est vita hominis super terram, quicumque sentit impugnationem ab hostibus, vel a mundo, vel a carne, vel a dæmone, respiciat castrorum aciem ordinatam, deprecetur Mariam, ut ipsa, per Filium, *mittat auxilium de sancto et de Sion tueatur*. (Psal. XIX, 3.)

(INNOCENTIUS III, *Sermo de Assumpt. B. Mariæ Virginis*).

XII

MARIA AUXILIUM CHRISTIANORUM

Te Redemptoris Dominique nostri
Dicimus Matrem, speciosa Virgo,
Christianorum decus et levamen
Rebus in arctis.

Sæviant portæ licet inferorum,
Hostis antiquus fremat et minaces,
Ut Deo sacrum populetur agmen,
Suscitet iras.

Nil truces possunt furiæ nocere
Mentibus castis, prece quas vocata
Annuens Virgo fovet et superno
Robore firmat.

Tanta si nobis foveat patrona,
Bellici cessat sceleris tumultus,
Mille sternuntur fugiuntve turmæ,
Mille cohortes.

Tollit ut sancta caput in Sione
Turris, arx firmo fabricata muro,
Civitas David, clipeis et acri
lite tuta.

Virgo sic fortis, Domini potenti
Dextera, cæli cumulata donis,
A piis longe famulis repellit
Dæmonis ictus.

XIII

ADJUTRICI CHRISTIANORUM

Elegia.

At nunc, Virgo potens, victrices, te auspice, palmas
Majori plectro concinuisse juvat.
Per te namque almæ victoria nuntia pacis,
Plus semel ad veteres risit amica patres.
Gallia tu testis : metuendas, arte maligna,
Vis inferna tibi struxerat insidias ;
Tuque olim virtute, fide splendescere visa,
Heu ! priscum misere jam decus exueras !
Immunda late errorum vitiique scatebas
Illuvie, gentes depopulante tuas.
Adfuit at Virgo : meritis, pietate verendum,
Finibus hispanis advocat ipsa virum,
Cui roseas blando dum traderet ore coronas :
« Hæc, ait, hæc Gallis arma salutis erunt... »
Hisce armis pugnæ occurrit Gusmanius heros,
Hac arte enisus clara tropæa tulit.
Occubuere hostes ; rursumque effulsit avita
Pulchrior in Gallis candidiorque fides.
Testor et Ioniis quas cernis Echinadas undis :
Vivida adhuc facti fama per ora volat.
Stant ex adverso instructæ longo ordine puppes,
In sæva ardescunt prœlia jam ruere.
Utraque fert acies signum ; hæc cæleste Mariæ,
Lunæ triste minax illa bicornis habet.

Ut raucæ sonuere tubæ, concurritur ; ingens
Continuo ad cæli tollitur astra fragor.
Æra tonant, reboat littus, micat ignibus æquor ;
Impavidi hac illac dant fera jussa duces.
Confracto latere et remis non una dehiscit
Navis, et immensi gurgitis ima petit.
Jactata horrisono merguntur corpora ponto,
Humano spumans unda cruore rubet...
Anceps stat fortuna : pari virtute peracta,
Hinc inde eventu pugna iterata pari ;
Jamque iterum tentanda acies, cum, percita fato
Nescio quo, classis turcica, sollicito
Pulsa repente metu, refugit producere pugnam,
Et quamvis multo milite prævalida,
Cedere visa loco, et sese, mirabile dictu !
Ultro Christiadum dedere in arbitrium.
Ingeminat tunc victoria, nomenque Mariæ
Conclamat, resonis undique litoribus.
Conclamant populi portentum Virginis almæ
Patratum diva bellipotentis ope.
Romulidæ imprimis, queis mirum ex hoste triumphum
Fatidico edixit præscius ore Pius.
Inde quies et pax Europæ adserta ruenti,
Inde stetit patriæ religionis honos.
Seraque posteritas quid adhuc ignava miratur ?
Eia eventu dignum aggrediatur opus.
Sublime attollat pario de marmore templum
Ad litus, memori gesta ubi pugna loco.
Hic Virgo templum teneat Regina, tumenti
Hic præcincta rosis imperet ipsa mari.

(Leo XIII, S. P.)

XIV

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS ASSUMPTIO

O vos ætherei plaudite cives,
Hæc est illa dies clara triumpho,
Qua Matrem placida morte solutam
Natus siderea suscipit aula.

Quæ non, Virgo, tibi dona rependit !
Cæli divitias explicat omnes.
Verbum vestieras carne ; vicissim
Te Verbum proprio lumine vestit.

Qui velo latuit carnis, aperti
Pleno te satiat Numinis haustu
Et quem virgineo lacte cibasti,
In jugem tibi dat se Deus escam.

O concessa tibi quanta potestas !
Per te quanta venit gratia terris !
Cunctis cælestibus celsior una,
Solo facta minor Virgo Tonante.

Quæ Regina sedes proxima Christo,
Alto de solio vota tuorum
Audi ; namque potes flectere natum
Virgo Mater : ama nos quoque natos.

(Santeuil.)

XV

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS ASSUMPTIO

Virgo gloriosa, hodie cælos ascendens, supernorum gaudia civium copiosis, sine dubio, cumulavit augmentis. Quodsi necdum nati Joannis Baptistæ anima liquefacta est, ut Maria est locuta, quamnam putamus illam fuisse cælestium exsultationem, cum et vocem audire et faciem videre et beata ejus frui præsentia meruerunt. Mariæ præsentia totus illustratur orbis, adeo ut ipsa jam cælestis patria clarius rutilet virgineæ lampadis illustrata fulgore. Merito proinde resonat in excelsis gratiarum actio et vox laudis; sed plangendum nobis quam plaudendum magis esse videtur. Quantum enim de ejus præsentia cælum exsultat, numquid non consequens ut tantum ejus absentiam noster hic mundus lugeat!

Cesset tamen querela nostra; nobis enim hic non est *manens civitas*, sed eam inquirimus ad quam hodie Maria pervenit. Cives in ea si fuimus conscripti, dignum profecto, etiam in exilio, etiam super flumina Babylonis, ejus nos recordari, ejus gaudiis communicari, ejus lætitiam participare, illam maxime quæ tam copioso *impetu lætificat civitatem Dei*, ut sentiamus et ipsi stillicidia stillantia super terram.

Præcessit nos regina nostra, præcessit et tam gloriose est suscepta, ut fiducialiter sequantur Dominam parvuli

clamantes : *Trahe nos post te, in odorem unguentorum tuorum currimus.* Advocatam præmisit peregrinatio nostra quæ, utpote judicis Mater et Mater misericordiæ, suppliciter et efficaciter nostræ salutis negotia pertractabit.

(S. BERNARDUS, *Sermo I in Assumpt. Beatæ Virginis.*)

XVI

CHRISTIANUS BEATÆ VIRGINIS TUMULUM ALLOQUENS

Jam vero, o sacerrimum sepulcrum, ubinam aurum est illud sincerum quod apostolorum manus in te condiderunt? Ubi inexhaustæ opes? ubi sanctuarium quod Deum accepit? ubi animata mensa, ubi liber in quo, ineffabili ratione, Deus Verbum, citra manus operam, inscriptus est? Ubi gratiæ abyssus, ubi curationum pelagus, ubi fons in quo orta est vita? ubi denique desideratissimum illud atque amabilissimum Deiparæ Virginis corpus?

— Quid eam in sepulcro quæritis quæ ad cælestia translata est tabernacula? Cur a me custodiæ rationes exposcitis? non eæ sunt meæ vires quæ divinis jussibus obluctentur.

Relicta sindone, sacrosanctum illud corpus, mihi postquam sanctitatem impertivit, pretiosissimique unguenti fragrantia replevit, abreptum hinc sublime abiit, stipantibus angelis et archangelis omnibusque cælorum virtutibus. Nunc me circumdant angeli, in me nunc divina inhabitat gratia. Ego quasi officina medicinæ ægrotantibus, ego fons perennis curationum, ego dæmonum profligatio et iis qui ad me confugiunt civitas refu-

gii. Accedite populi cum fiducia et gratiarum dona affluenter haurite !

(S. Joannes Damascenus, *Sermo II de Assumpt. B. Virg.*)

XVII

DE MARIA LOQUUNTUR OMNIA

Nihil in universo terrarum orbe quod de te non loquatur, dulcemque tuam nobis in mente non revocet memoriam, o Maria!

Sol et luna quæ nostris superfulgent capitibus, quæque splendore multo ac longe præstas, tuam nobis sublimitatem dicunt, o Maria !

Stellarum exercitus, miro ordine per firmamentum instructus, illam nobis prædicat gloriæ coronam qua tua tempora redimuntur, o Maria !

Flores qui vivis coloribus visum recreant, et odoramina quæ ex amœno floralio redolent, tuam nobis præstantissimam dicunt pulchritudinem, tuorumque virtutum odorem eximium, o Maria !

Messis quæ flavescentes onerat sulcos, ut mox curvantia vincat horrea, tuorum nobis dicit cælestium plenitudinem donorum, o Maria !

Rubens uva quæ tumet in vitibus, et exinde spumat in lætificante ac reficiente mero, tui vim præsidii nobis dicit ac suavitatem, o Maria !

Fontes qui de rupibus subsiliunt præcipites, sacros nobis prædicant latices quibus animarum sitim restingis, o Maria !

Aves, quæ frondifero in nemore garrulos miscent concentus, cæleste nobis dicunt melos, quo seraphim tuas celebrant laudes, o Maria !

Matutina tepidi veris tempora dulces nobis prædicant gratiarum rores, quibus nostras perfundis mentes, o Maria !

Æstatis ardores frugiferi vividum tui in nos referunt amoris ignem, et flammas quibus corda succendis, o Maria!

Ferax autumnus tuas nobis dicit prærogativas innumerabiles, tuamque mirandam fecunditatem, o Maria!

Hibernalis somnus naturæ languorem nobis in mente refert et turpem inopiam animæ quæ tua non rapitur dilectione, o Maria!

Serenum mane splendidam qua tua frons rutilat nobis prædicat puritatem, o Maria!

Umbra quæ furentes solis æstus submovet, gratissimum nobis dicit tui pallii refugium, o Maria!

Placidus vesper tranquillumque noctis tempus, lætam nobis prædicant pacem sanctamque confidentiam illius beati servi qui te sibi Dominam elegit ac Reginam, o Maria!

(Abbé Pillot, *Marie dans ses figures, ses symboles...*)

XVIII

AD ROSAM

Siderum sacros imitata vultus,
Quid lates dudum, Rosa! delicatum
Efferre e terris caput, o tepentis
Filia cæli.

Jam tibi nubes fugiunt aquosæ,
Quas fugant albis zephyri quadrigis :
Jam tibi mulcet Boream jocantis
Aura Favoni.

Surge! Qui natam deceant capilli
Mitte scitari! Nihil heu! profanæ
Debeas fronti, nimirum severi
Stemma pudoris.

Parce plebeios redimire crines :
Te decent aræ. Tibi colligenda
Virginis late coma per sequaces
Fluctuat auras (1).

(P. Sarbiewski, S.J.)

XIX

PULCHRA ES ET DECORA, O VIRGO MARIA

Pulchra rubens lætis in collibus uva colore,
Irriguis pulcher nobilis hortus aquis.

Pulchræ pellucent Erythreo in litore gemmæ,
Pulchra nitent summo sidera nocte polo

Pulchra micat cælo nitidi lux solis ab axe,
Pulchra Damascenis et rosa vernat agris.

Pulchrior at multo es, Virgo, formosior omni
Uva, horto, gemma, sidere, luce, rosa.

(Ignatius Albanus.)

XX

FLOS INCOMPARABILIS

Comparatus tibi flos marcuit
Quam sol verus vernare docuit :
Florum princeps rosa cum rubuit,
Lilaris albedo palluit.

(1) Construisez : *Coma Virginis fluctuat late per auras sequaces colligenda tibi.*

Violarum livor æthereus,
Primularum et decor aureus,
Prati necnon viror gramineus
In respectu tui fit luteus.

Sed et horti tota lucentia
Cum ver florum figurat folia,
Non oblectat fusa fragrantia,
Nec decoris gestat insignia.

Rosa, mihi si redolueris,
Cum in luctu me leti videris,
Vim odore fugabis funeris,
Et florebo si flos adveneris.

(P. Ragey, *Hymnarium quotidianum*, Lethielleux, éd.)

XXI

BEATÆ VIRGINIS MARIÆ QUASI DIVINA MAJESTAS

Confiteor coram Deo, ab hominibus non posse percipi, quam ego oculis non tantum mentis, sed corporis vidi et perspexi, Deiformem atque sanctissimam supra omnes cælicos spiritus, Matrem Jesu Christi Domini nostri.

Quoniam cum a Joanne, vertice evangelii et prophetarum, ductus fui ad deiformem præsentiam altissimæ hujus Virginis, tantus me divinus splendor circumfulsit exterius, irradiavitque interius, tanta in me omnium odoramentorum superabundavit fragrantia, ut nec corpus infelix, nec spiritus posset talis felicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit spiritus tantæ gloriæ majestate oppressus.

Testor qui aderat in Virgine Deum, nisi tua divina doctrina me docuisset, hanc verum esse Deum credidissem, quoniam nulla videri posset beatorum gloria illa major quam tunc felicissimus degustavi.

Gratias ago summo atque optimo Deo, divinæ Virgini et eminentissimo apostolo Joanni, tibique Ecclesiæ vertici, qui talia mihi præstitisti. Vale.

(S. Dionysius Areopagita, *Ep. ad S. Paulum.*)

XXII

MATER ADMIRABILIS

Maria dulcis ad recordandum, suavis ad nominandum, canora ad laudandum, pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, valens ad innitendum, delectabilis ad amandum.

Tam dulci est memoria, ut si quis Mariam dédiscat, caveat ne forte se Maria in perpetua oblivione apud Filium derelinquat.

Tam suavi est nomine, ut si quis Mariæ nomen parvi pendat, caveat ipse ne Mariæ divinoque Mariæ Filio minimi in æternum fiat.

Tam canora laudatione, ut si quis Mariam non canat, caveat ne suum introitum ad suæ Reginæ thronum Angeli numquam celebrent.

Tam decoro aspectu, ut si quis Mariam non miretur, caveat ne mirabili Mariæ aspectu ipse nunquam recreetur in cælis.

Tam amabili vultu, ut si quis Mariam contemplando non revereatur, caveat ipse ne in Tartara detrusus cum diabolis perpetuo vilipendatur.

Tam valenti præsidio, ut si quis Mariæ plane non fidat, caveat ipse ne, per vitam in necessitatibus, et in extrema vitæ angustia, potenti Mariæ destituatur auxilio.

Tam delectabili affectu et corde, ut si quis non diligat Mariam Matrem Domini nostri Jesu Christi, caveat ne de se æternum feratur anathema.

Qui ergo benedixerit tibi, o Maria, sit ipse benedictus; qui vero maledixerit, in maledictione reputetur... Quin potius, ne pereat, ad te mærens redire festinet, a qua elongaverat, tibi intimo corde adhæreat, et in te spem salutis totam reponat.

(Abbé Pillot, *Marie dans ses figures, ses symboles...*)

XXIII

SANCTA MARIA AD NIVES

Liberio summo Pontifice, Joannes patricius romanus, et uxor pari nobilitate, cum liberos non suscepissent, quos bonorum heredes relinquerent, suam hereditatem sanctissimæ Virgini Dei Genitrici voverunt, ab ea assiduis precibus petentes ut in quod pium opus eam pecuniam potissimum erogare vellet, aliquo modo significaret.

Quorum preces et vota ex animo facta, Beata Virgo Maria benigne audiens, miraculo comprobavit.

Nonis enim Augusti, quo tempore in urbe maximi calores esse solent, noctu nix partem collis Esquilini contexit. Qua nocte, Dei Mater separatim Joannem et conjugem in somnis admonuit ut quem locum nive conspersum viderent, in eo ecclesiam ædificarent, quæ Mariæ Virgini dedicaretur : se enim ita velle ab ipsis heredem institui. Quod Joannes ad Liberium Pontificem detulit, qui idem per somnium sibi contigisse affirmavit.

Quare sollemni sacerdotum et populi supplicatione, ad collem venit nive coopertum, et in eo locum ecclesiæ designavit, quæ Joannis et uxoris pecunia instructa est.

Variis nominibus primum est appellata; sed cum multæ jam essent in urbe ecclesiæ sub nomine Sanctæ Mariæ Virginis, ut quæ basilica novitate miraculi ac dignitate ceteris ejusdem nominis basilicis præstaret, vocabuli etiam excellentia significaretur, Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris dicta est.

(*Ex Breviario romano.*)

XXIV

HYMNUS IN HONOREM B. MARIÆ VIRGINIS

Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem confitemur.

Te æterni Patris sponsam omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli et Archangeli, tibi Throni et Principatus fideliter serviunt.

Tibi omnes Potestates et Virtutes cælorum, tibi universæ Dominationes obœdiunt.

Tibi omnes chori Cherubim et Seraphim exsultantes assistunt.

Tibi omnes angelicæ creaturæ incessabili voce proclamant :

Sancta, Sancta, Sancta Maria, Dei Genitrix, Mater et Virgo.

Pleni sunt cæli et terra majestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus sui creatoris Matrem collaudat.

Te beatorum Martyrum cœtus candidatus Christi Genitricem glorificat.

Te gloriosus Confessorum exercitus Trinitatis templum appellat.

Te sanctarum Virginum chorea amabilis Virginitatis et humilitatis exemplum prædicat.

Te tota cælestis curia Reginam honorat.

Te, per universum orbem invocando, Ecclesia concelebrat Matrem divinæ Majestatis,

Venerandam et veram cælestis regis puerperam, sanctam quoque, dulcem et piam.

Tu Angelorum Domina, tu paradisi janua.

Tu cælestis regni scala et gloria.

Tu regalis thalamus, tu arca pietatis et gratiæ.

Tu vena misericordiæ, tu sponsa et Mater Regis æterni.

Tu templum et sacrarium Spiritus sancti, totius Trinitatis nobile triclinium.

Tu Mediatrix Dei et hominum, mortalium amatrix cælestisque illuminatrix.

Tu agonisatrix pugnantium, pauperum advocata, peccatorum miseratrix et refugium.

Tu munerum erogatrix, tu dæmonum et superborum terror.

Tu mundi Domina, cæli Regina, post Deum sola spes nostra.

Tu salus te invocantium, naufragantium portus, miserorum solacium, pereuntium refugium.

Tu omnium beatorum Mater, civium supernorum gaudium.

Tu justorum permotrix, errantium congregatrix, patriarcharum promissio.

Tu prophetarum veritas, apostolorum præconium et doctrix, evangelistarum magistra.

Tu martyrum fortitudo, confessorum exemplar, virginum honor et festivitas.

Tu, ad liberandum exulem hominem, Filium Dei in uterum suscepisti.

Tu devicto vetere inimico, aperuisti fidelibus regna cælorum.

Tu cum Filio tuo sedes ad dexteram Patris.

Tu ipsum pro nobis roga, Virgo Maria, quem ad judicandum nos credimus esse venturum.

Te ergo poscimus, nobis famulis subveni, qui pretioso Filii tui sanguine sumus redempti.

Æterna fac, pia Virgo, cum sanctis tuis nos gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domina, ut tui simus participes hereditatis Filii.

Et rege nos et nos custodi in æternum.

Per singulos dies, o pia, te salutamus.

Et laudare te cupimus, mente et voce, usque in æternum.

Dignare, dulcis Maria, nunc et semper, sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domina, miserere nostri.

Fiat misericordia tua magna nobiscum, quia in te, Virgo, confidimus.

In te, dulcis Virgo, speramus, nos defende in æternum.

Te decet laus, te decet imperium, tibi virtus et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

(S. Bonaventura.)

TABLE

Les textes faciles sont indiqués par un astérisque, les textes difficiles par une croix.

PROLOGUS

1 † Hortatur alumnus ad sequenda Mariæ vexilla. (P. Deslions)... 2
2 Salve Mater (S. Bonaventure)... 3
3 Mariæ prædestinatio (Cornelius a Lapide)... 4
4 * SS. Parentes Beatæ Mariæ Virginis (S. Fulbert)... 4
5 † Mariæ Virginis Conceptio Immaculata (Pie IX)... 5
6 Mariæ Immaculatæ encomium (S. Épiphane)... 6
7 Beatæ Mariæ Nativitas (Coffin)... 7
8 † Beatæ Mariæ Nativitas (S. Pierre Damien)... 8
9 Beatæ Mariæ Nativitas (S. Jean Damascène)... 9
10 Beata Maria in Templo præsentata (S. Tarasius)... 11
11 † Sanctus Joseph Beatæ Mariæ Virginis sponsus (S. Bernard)... 12
12 * Beatæ Mariæ Virginis Annuntiatio (*Liturgie grecque*) 13

SALUTATIO ANGELICA

1 * Salutationis angelicæ divisio... 16
2 * Salutationis angelicæ suavitas et virtus (Thomas a Kempis)... 17
3 Verbi Ave explanatio (S. Sophrone)... 18
4 De Mariæ nomine (S. Bernard)... 19
5 * De Mariæ nomine (Pierre de Celles)... 20
6 Gratia plena (S. Thomas d'Aquin)... 21
7 † Dominus tecum (S. Bernard)... 22
8 * Benedicta tu in mulieribus (S. Sophrone)... 23
9 † Benedictus fructus ventris tui (S. Bernard)... 24
10 Fructus Evæ et fructus Mariæ (S. Thomas d'Aquin) 26
11 † De Jesu nomine (S. Bernard)... 27
12 * De Jesu nomine (*Hymne*)... 28
13 † Mater Dei : hujus conditionis excellentia (S. Anselme)... 29

14 † Mater Dei : cur Evangelistæ tam summatim dixere de Maria (S. Thomas, évêque)................ 30
15 † Mater Dei : homilia in Ephesio concilio habita... (S. Cyrille d'Alexandrie)... 32
16 Ora pro nobis peccatoribus (S. Anselme)......... 34
17 † Ora pro nobis nunc et in hora mortis (Marchant).. 35
18 † Ad Mariam supplex oratio ut Angelo præbeat assensum (S. Bernard).......................... 36
19 Ecce ancilla Domini (S. Bernard)................ 37

BETHLEEM

1 † Amoris potentia (Hosschius)..................... 40
2 Emitte Agnum, Domine (Pierre de Celles)........ 41
3 * Orbis vota Christum venturum suspirantis (Lejay). 42
4 In vigilia Natalis Domini (*Anthologie grecque*).... 42
5 * Natalis Domini (S. Léon).................... 43
6 † Natalis Domini (Sédulius)........................ 44
7 * Natalis Domini (S. Augustin)............ 45
8 Natalis Domini (S. Bernard)...................... 46
9 † Natalis Domini (S. Éphrem)...................... 48
10 Jesus infans (S. Pierre Chrysologue)........... . 49
11 Pastores ad præsepe (S. Éphrem)................ 50
12 † Magi Filii Mariæ divinitatem testantes (Prudence).. 52
13 † Bethleem (S. Bernard)............................ 53
14 Stabat Mater speciosa (Jacopone)................ 54
15 Oppositiones mirabiles in præsepe (S. Bernard)... 55
16 * Cantus Mariæ ad cunabula Christi (Adam de S.Victor). 56
17 Trinum Christi reclinatorium (Pierre de Celles)... 58
18 * SS. Innocentes (Prudence)......................... 58
19 † De duplici generatione Filii Mariæ (S. Ambroise).. 60
20 † Venit non judicare sed salvare (S. Bernard) 61
21 † Salvatoris lacrymæ in præsepe (S. Bernard) 62
22 † Fuga in Ægyptum (S. Pierre Chrysologue)....... 63
23 † Mirabilia Dei in limo per Incarnationem (S. Bernard).. 65
24 † Roma et Bethleem (S. Jérôme).................... 66
25 Sancta Paula ad præsepe Domini (S. Jérôme)..... 67
26 * Jesum amemus (Du Cerceau) 68

NAZARETH

1 † E spinis rosa (Sédulius).......................... 70
2 Maria cælum novum, terra nova, mare novum (S. Jean Damascène)............................... 71

3 Nuntius nazarenus (*Prose*) 72
4 † Nazareth thesaurus Dei (S. Bernard)............. 73
5 * Flos campi (S. Bernard) 74
6 Apis nazarena (S. Bernard) 75
7 † Familiarum sanctissima (Léon XIII) 76
8 † Filius Fabri (Léon XIII).......................... 77
9 Et erat subditus illis (S. Bernard)................ 78
10 * Mirabilis pincerna (S. Bernard).................. 79
11 * Ad Cananæam Virginem deprecatio (abbé Pillot).. 80
12 * Puer Jesus in officina Joseph vulneratur (Lejay)... 81
13 Dialogus Pueri Jesu et Virginis Matris (Sarbiewski). 81
14 Mariæ humilitas in Silentio (S. Bernard). 82
15 Mariæ humilitas in sermone (S. Bernard).......... 84
16 * Vallis humilitatis (P. Ragey)...................... 85
17 † Nec primam similem visa est, nec habere sequentem (S Bernard) 86
18 † Quomodo Maria magnificavit Dominum (S. Jérôme) 87
19 † Fecit mihi magna qui potens est (S. Anselme).... 88
20 Respexit humilitatem ancillæ suæ (S. Bernard) ... 89
21 Maria Eva nova (S. Bernard) 90
22 Auroræ comparatur Virgo Maria (S. Bernard)..... 91
23 † Maria mons sublimis et frugifer (S. Grégoire)..... 92
24 Violæ comparatur Virgo Maria (S. Bernard) 93
25 * Arcæ comparatur Virgo Maria (S. Bernard et S. Ambroise) 94
26 * De quibusdam Mariæ symbolis (Abbé Pillot)...... 95
27 † Ad sacram ædem Lauretanam (Poète italien)...... 96

MATER DOLOROSA

1 Prænuntiatum sacrificium (Santeuil) 99
2 † Acceptatum sacrificium (S. Bernardin)............ 100
3 † Venit hora Jesu (S. Augustin)...................... 101
4 Christi Jesu crucifixi testamentum (S. Ambroise).. 102
5 † Regina Martyrum (S. Bernard)...................... 103
6 * Ad Beatam Virginem, Filio Jam in cruce mortuo (Hosschius).. 105
7 * Ad Beatam Virginem Filii corpus in gremio sustinentem (Hosschius)................................ 105
8 Calvarii rosæ (S. Bernard)........................... 107
9 * Virgo et Crux (*Hymne*)................................ 108
10 * Stabat Mater dolorosa (Jacopone).................. 109

REGINA ET MATER

1 * Laus Dei Genitricis (*Hymne*) 113
2 Dei munificentia erga Mariam (Coffin) 114
3 † Quod nobis magis arridet in Maria (Tiphernus) 115
4 Maria stella maris (Hugues de Saint-Victor) 115
5 † Humani generis clamor ad Mariam (S. Pierre Damien) 116
6 * Mariæ recordatio quam sit efficax (S. Anselme) 118
7 † Turris Davidica (S. Thomas, évêque) 119
8 † Misericordiæ Mater (S. Bernard) 120
9 † Maria quam dulcis et omnibus benefica (S. Bernard) 121
10 † Mediatrix ad Mediatorem (S. Bernard) 122
11 · Maria lumen nobis et auxilium (Innocent III) 123
12 Maria auxilium Christianorum (*Bréviaire romain*) 124
13 † Adjutrici Christianorum elegia (Léon XIII) 125
14 Beatæ Mariæ Virginis Assumptio (Santeuil) 127
15 Beatæ Mariæ Virginis Assumptio (S. Bernard) 128
16 Christianus Beatæ Virginis tumulum alloquens (S. Jean Damascène) 129
17 * De Maria loquuntur omnia (abbé Pillot) 130
18 † Ad Rosam (Sarbiewski) 131
19 Pulchra et decora Virgo Maria (Ignace Albano) 132
20 * Flos mirabilis (*Hymne*) 132
21 Beatæ Mariæ Virginis majestas quasi divina (S. Denys l'Aréopagite) 133
22 * Mater admirabilis (abbé Pillot) 134
23 * Sancta Maria ad Nives (*Bréviaire romain*) 135
24 Hymnus in honorem Beatæ Mariæ Virginis (S. Bonaventure) 136

Imprimerie de l'Institut de Bibliographie (ancienne Maison Monnoyer). — VIII-1900.